TRACTATUS DE IUSTIFICATIONE IMPIJ AUTHORE FR...

Pietro Conti

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
8
12-G
48

Digitized by Google

Digitized by Google

TRACTATVS
DVO
DE IVSTIFICATIONE impij,
ET DE MERITO.

Digitized by Google

Digitized by Google

TRACTATVS
DE
IVSTIFICATIONE
IMPII

AVTHORE

FR. PETRO DE COMITIBVS

Romano

ORD. ER. S. AVGVSTINI

de Ancona.

Sac. Theologiæ Magiſtro, & Doctore, Collegij Romani Regente, necnon Anconæ, Venetijs, Patauij, &c.

S. OFFICII CONSVLTORE.

BIBLIOTECA NAZ.
VITTORIO EMANUELE
ROMA

ROMAE,

Apud Io: Franciſcum de Buagnis. 1689.

Superiorum permiſſu.

Digitized by Google

Imprimatur,

*S*i videbitur Reuerendiſs. P. Sacr. Palatij Apoſt. Mag.

Stephanus Ioſeph Menattus Epiſc. Cyrenenſis Viceſgerens.

Imprimatur,

Fr. Thomas Maria Ferrarius Sac. Pal. Ap. Mag. Ord. Præd.

Digitized by Google

DIVO
IOSEPH.

Sanctiſſimæ Dei genitricis
Digniſſimo Sponſo,
Incarnati Verbi
Nutritio,
Et
Vtriuſque ſolatio
Tamquam laborum ſuorum
Patrono maximo
Hunc

 De

De impij Iuſtificatione
Libellum.
In humillimi
Argumentum obſequij
Toto cordis affectu
Præ omnibus mundi
Principibus
Nuncupatum largitur.
Fr. Petrus de Comitibus
Romanus
Ord. Er. S. Aug.
de Ancona.

Ex

Digitized by Google

EX Commiſſione Reuerendiſs. P. Magiſtri Fulgentij Trauallonij totius Ordin. Erem. S. P. Auguſtini Prioris Generalis, perlegi, & accuratè luſtraui Tractatus de Peccato Originali, De Iuſtificatione impij, & de Merito, eruditiſsimè compoſitos ab Adm. Reu. Patre Magiſtro Petro de Comitibus Romano, ac in alma Vrbe ſtudiorum Præfecto, in quibus Ortodoxæ Fidei nihil diſſonum, ac bonis moribus aduerſum deprehendi: Immo tamquàm locupletiſsima, veræ, ac perlùcidæ multiplicis eruditionis Catholicæ armamentaria, ad doctrinam Chriſtianam contra quoſcumq; Nouatores ſolidè propugnandam, ſollicito apparatu elaboratos habendos, publicandos eſſe cenſeo.

Ego F. Io: Baptiſta Cerronius Sacræ Theologiæ Magiſter Eremita Auguſtinianus.

Datum in Conuentu S. P. N. Auguſt. de Vrbe hac die 29. Iulij 1689.

De

Digitized by Google

DE mandato Reuerendiſs. noſtri Prioris Generalis vidi, & diligenter conſideraui Tractatus de Peccato Originali, de Iuſtificatione impij, & de Merito, elucubratos à P. Magiſtro de Comitibus Romano huius noſtri Romani Collegij Regente,, & nihil in eis inueni, quod non redoleat ſanam, & catholicam doctrinam, immo illos ſuſpexi ſubtiliſsimis quæſtionibus redundantes, ſcripturis, Patribus, & rationibus ſolidiſsimis innixos, adeòut dicendi claritate, & diſcurrendi profunda ſoliditate, magnam poſsint afferre Lectoribus vtilitatem, & ſplendorem Reipublicæ Chriſtianæ. Ac proinde illos digniſsimos prælo cenſeo.

Dat. Romæ in Conuentu S.P. Auguſtini die 15. Iulij 1689.

Ego F. Patricius à S.Aug. manu prop. ſubſcripſi

Mag. F. Fulgentius Traualloni à Monte Elparo Georginas totius Ord. FF. Er. S. P. Auguſtini Prior Generalis.

OPVS inſcriptum, Tractatus de Peccato Originali, de Iuſtificatione impij, & de Merito à Reu.P. Magiſtro Fr. Petro de Comitibus Romano huius noſtri RomaniCollegij Regente elucubratum, cùm Rreuiſores à nobis deputati probauerint, & publica impreſſione dignum cenſuerint, facultatem damus, vt de licentia eorum, ad quos ſpectat Typis mandetur. Datum Romæ die 18. Octobris 1689.

F.Fulg.Trauall̄oni Prior Gener. Ind.

Noſtri Mun. affixo Sig.

Reg. lib. 5.

Digitized by Google

INDEX

Diſputationum, & Articulorum, qui continentur in Tractatibus de Iuſt ificatione, & de Merito.

DISPVTATIO PRIMA.

De exiſtentia, & quidditate Iuſtificationis.

AR. 1. An verè detur iuſtificatio impij tollens peccata? Confutantur errores hæreticorum. pag. 27

Ar. 2. An poſſit dari aliquod peccatum intrinſecè, & eſſentialiter irremiſſibile omni genere condonationis? 32

Ar. 3. An iuſtificatio impij fiat per infuſionem gratiæ intrinſecè inhærentis ipſi iuſtificato? 40

Ar. 4. An gratia formaliter iuſtificans, phyſicè, & ex natura ſua expellat peccatum, & conferat ſanctitatem? 46

Ar. 5. Soluuntur obiecta, & roboratur doctrina. 54

Ar. 6. An actus contritionis, & charitatis, poſſint per ſe ipſos eſſe formaliter iuſtificantes à peccatis? 59

A. 7. An gratia habitualis poſſit de potentia abſoluta componi cum peccato, tàm actuali, quàm habituali? 65

Ar. 8. An poſſit Deus per infuſionem gratiæ habitualis, iuſtificare impium à peccatis non retractatis? Vbi an poſ-

Digitized by Google

poſſit remitti peccatum, dum actu ſit ? pag. 72
Ar. 9. An poſſit Deus remittere peccatum, abſq; vlla forma intrinſeca peccatori, per ſolam condonationem extrinſecam ? 77
Ar. 10. Soluuntur reliqua argumenta contraria. 85

DISPVTATIO SECVNDA.

De Diſpoſitionibus prærequiſitis, ad impij iuſtificationem.

AR. 1. An debeat peccator diſponi, ad recipiendam gratiam iuſtificantem, & quibus actibus ? 90
Ar. 2. An ſola fides ſufficiat ad iuſtificationem ? 95
Ar. 3. An ad iuſtificationem requiratur formalis dilectio Dei ? Vbi de alijs actibus requiſitis. 98
Ar. 4. An actus contritionis, & charitatis deriuent ab ipſa gratia iuſtificante ? 106
Ar. 5. An habitus charitatis realiter diſtinguatur à gratia habituali ſanctificante ? 114
Ar. 6. Soluuntur fundamenta contraria. pag. 121

TRA-

Digitized by Google

TRACTATVS.
DE MERITO
Secundùm ſe.

AR. 1. An verè dentur actiones meritoriæ apud Deum? 128
Ar. 2. An ad meritum requiratur quòd ſit actus poſitiuus? 136
Ar. 3. An requiratur perfecta libertas? pag. 142
Ar. 4. An requiratur indiſpenſabiliter ſtatus viæ? 150
Ar. 5. An requiratur ſtatus gratiæ ſanctificantis? 158
Ar. 6. An meritum de condigno compleatur per pactum, ſeu diuinam promiſſionem de conferendo præmio? 167
Ar. 7. Soluuntur obiecta. 175
Ar. 8. Abſoluitur materia per varia queſita. 182
Ar. 9. Alia quæſita circa obiectum meritorum. 191

INDEX QVAESTIONVM.
Quæ ſub nomine quæſitorum intermiſcentur.

AN omnes actus diſponentes ad iuſtificationem, requirantur expreſsè, & formaliter? 104
Quæ, & quot ſint cauſæ iuſtificationis 123
Quæ, & quot diſpoſitiones prærequirantur. 123

An

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

An omnes ſint abſolutè neceſſariæ? 124
An iuſtificatio fiat in inſtanti? Ibid.
An iuſtificatio impij ſit miraculum? 125
An iuſtificatio impij ſit maximum opus Dei ad extra? Ibid.
An Enoch, & Elias mereantur in Paradiſo Terreſtri? 154
An meritum augeatur per dependentiam gratiæ ex meritis Chriſti? 182
An poſſint abſolutè dari merita, ſine gratia habituali? 184
An meritum creſcat, iuxta menſuram gratiæ in operante? Ibid.
An actus virtutum moralium acquiſitarũ, elicitus ex gratia purè concomitanti ſit meritorius vitæ æternæ? 186
An actus virtutum per ſe infuſarum, à ſolo imperio charitatis habeant, eſſe meritorios? 188
An noſtra merita extendantur ad primã gratiam? 191
An poſſit peccator mereri ſibi gratiam iuſtificantem? Ibid.
An operibus naturalibus moraliter bonis poſſimus mereri de congruo iuſtificationem? 193
An poſſit iuſtus mereri perſeuerantiam finalem? 194
An poſſimus à Deo mereri bona temporalia? Ibid.
An poſſit iuſtus mereri ſibi reparationem poſt lapſum? 196

TRA-

Digitized by Google

TRACTATVS
DE
IVSTIFICATIONE
IMPII.

Authore.

FR. PETRO DE COMITIBVS
Romano.

DIVIDIMVS hunc Tractatum in tres diſputationes, in quarum prima agimus de exiſtentia, & quidditate iuſtificationis: in

Digitized by Google

2. de eius cauſis tàm intrinſecis, quàm extrinſecis: & in 3. de diſpoſitione ipſius iuſtificandl, ſeu de neceſſariò prærequiſitis.

DIS-

Digitized by Google

DISPVTATIO I.

De Exiſtentia, & quidditate Iuſtificationis.

QVæremus 1. An verè detur iuſtificatio tollens peccata? 2. An illa tollat per aliquam formam intrinſecè inhærentem ipſi iuſtificato? 3. An hęc forma ſit compatibilis cum peccato? 4. An poſſit aliquis formaliter iuſtificari, per actus contritionis, & charitatis? 5. An ſaltem per abſolutam Dei potentiam, poſſit aliquis iuſtificari, per purum fauorem extrinſecum ipſius Dei, abſque vlla forma illi intrinſecè inhærente?

ARTICVLVS PRIMVS.

An verè detur iuſtificatio impij tollens peccata? Confutantur errores hæreticorum.

VIdetur non dari, vt garriunt Lutherani, & Caluiniſtæ, qui dicunt,

 pec-

peccata verè non tolli, ſed ſolùm tegi, & non imputari ad pœnam, per iuſtitiam Chriſti, nobis per fidem imputatam. Eorum fundamenta ſunt, Primò quia Pſalmo 31. dicitur, *Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates.* Et deinde vt explicetur modus remiſſionis, ſubditur, *Et quorum tecta ſunt peccata.* Et deinde *Beatus vir, cui non imputauit Dominus peccatum.* Ergo peccata non remittuntur per deletionē, ſed per occultationem, & non imputationem ad pœnam.

2. Matth. 18. ſub illa parabola, ſerui non remittentis debitum ſuo conſeruo, Chriſtus docuit quid fiat cum impijs. Sicut ergo poſtquàm Dominus remiſerat illi debitum, *Miſertus Dominus, debitum dimiſit ei*, quia ille non eſt miſeratus ſui conſerui, *Iratus Dominus, tradidit eum tortoribus, quoaduſque redderet vniuerſum debitum;* ita facit Deus, vt ſubditur, *ſic & Pater meus faciet vobis, ſi non remiſeritis vnuſquiſque fratri ſuo de cordibus veſtris.* Sed hoc non poſſet fieri, ſi verè debitum peccatorum extingueretur. Ergo ideo redit, quia ſolùm tegitur, & non imputatur.

3. Quod extinguitur per iuſtificationē, non poteſt remanere iniuſtificato. Sed peccatum remanet, vt fatetur Apoſtolus ad Rom. 7. *Si quod nolo, illud facio, iam nō ego operor illud, ſed quod habitat in me peccatum*, licèt non ſolùm eſſet iuſtificatus, ſed confirmatus in gratia. Ergo non extinguitur, ſed tegitur.

4. Ad

Digitized by Google

4. Ad Rom, 5. dicitur *Sicut per vnius delictum, in omnes homines in condemnationem, ſic & per vnius iuſtitiam in omnes homines in iuſtificationem.* Ergo ſicut per hoc quòd nobis imputetur peccatum Adę, ſimus peccatores, ita per hoc quòd nobis imputetur iuſtitia Chriſti, iuſtificamur, adeòque non iuſtificamur per mũdationem à peccato, ſed per hoc quòd iuſtitia Chriſti nobis imputata, tegat noſtra peccata.

Concl. *Datur in Eccleſia catholica iuſtificatio impij, per quam ille tranſit à ſtatu peccati, ad eius carentiam, per veram, & realem illius remiſſionem, quoad totum reatum culpæ, & pœnæ æternæ.* Eſt de fide.

Probatur 1. Ex Trid. ſeſſ. 5. can. 5. vbi dicitur, *Si quis per Chriſti gratiam, quæ in baptiſmate confertur, reatum originalis peccati remitti negat, aut aſſerit, non tolli totum id, quod veram, & propriam peccati rationem habet, ſed illud dici tantum radi, aut non imputari, anathema ſit.* Si ergo peccatum originale verè tollitur per baptiſmum, qui eſt prima tabula poſt naufragium, nulla eſt ratio, cur etiam actuale non tollatur per ſacramentum pęnitentiæ, quod eſt ſecunda, vt fusè probaui in tr. de pęn. diſp. 2. ar. 1. aduersùs Montaniſtas, & Nouatianos.

2. Ex Aug. lib. 1. con. ep. Pelagij c. 13. docente, *Dicimus, baptiſmum omnium dare indulgentiam peccatorum, & auferre crimina, non radere, neque radices peccato-*

rum in mala carne teneri, quaſi raſorum in capite capillorum, vnde creſcant iterum reſecanda peccata. Cui poſſemus addere ſexcentos alios doctores, & patres, qui omnes vnanimiter docent, impium iuſtificari per verum, & realem tranſitum, ex peccato, in non peccatum.

5. Probauimus in tr. de pœn. diſ. 16 ar. 1. peccata ſemel à Deo remiſſa, non ſolùm amplius non redire, ſed neque poſſe redire. At ſi non fuiſſent extincta, ſed tecta, poſſent iterum detegi, & redire, vt patet. Ergo verè tolluntur in iuſtificatione, quoad reatum culpæ, & pœnæ æternæ, quidquid ſit de pœna temporali.

Demum dicitur Apoc. 21. *Nihil coinquinatum, aut abominationem faciens, intrabit in regnum cęlorum.* Sed ſi peccata non verè tollerentur, omnes iuſtificati remanerent coinquinati, ſordibus peccatorum, vnde facerent Deo abominationem. Ergo nullus cęlum ingrederetur, adeoque iuſtificati, eſſent ſimul amici, & inimici Dei, quo nihil abſurdius.

Ad 1. Nego conſequentiam. Et ad loca Pſalmi 31. dico, ex illis probari oppoſitum. Cùm enim Deus neceſſariò omnia videat, quæ ſuæ æternitati coexiſtunt, nihil poteſt eius oculis tegi ex exiſtentibus, niſi remoueatur ab exiſtentia, & ad nihilum redigatur Si ergo per iuſtificationem teguntur peccata, & auferuntur ab intuitu Dei, tolluntur de numero exiſtentium, & ſolùm conſiderantur

tur, vt præterita iam deſtructa, & ideo bene dicuntur non imputari. Optimè igitur concludit D Tho. in 4. d. 22. qu. 1. ar. 1. ad 2. *Charitas dicitur operire peccata Deo, qui omnia videt; vnde oportet, quòd & deſtruat, non quidem faciens quòd actus non præceſſerint, ſed quòd vim impediendi gratiam non habeant.*

Dices, dantur multa peccata intrinſecè irremiſſibilia, cuiuſmodi ſunt blaſphemia in Spiritum ſanctum, de qua dicitur Matth. 12. *Quod non remittetur, neque in hoc ſæculo, neque in futuro:* ingratitudo, hæreſis, infidelitas poſitiua. Ergo ſaltem hæc remanent tecta in iuſtificato. Nego antecedens, cum oppoſitum ſtatuerimus in tr. de pœn. diſp. 15. ar 1 vbi reſpondimus ad auctoritatem citatam, & alias ſimiles. Verùm de hoc multò plura dicemus ar ſequenti.

Ad 2. Nego minorem ſubſumptam. Quomodo autem ſit exponenda illa parabola, quin probet reditum peccatorum, vide in trac. de pœn. diſp 16. ar. 2 ad 1. vbi fuſè inuenies ſolutionem

Ad 3. Nego minorem. Et ad locum Apoſtoli reſpondet Tridentinum ſeſſ. 5. can 5 *Concupiſcentiam, quam aliquando Apoſtolus peccatum appellat, ſancta Synodus declarat, Eccleſiam catholicam numquam intellexiſſe, peccatum appellari, quod verè, & propriè in renatis peccatum ſit, ſed quia ex peccato eſt & ad peccatum inclinat. Si quis autem contrarium ſenſerit, anathema ſit.*

Ad 4. Nego conſequentiam. Et ad locum Apoſtoli dico, paritatem peccati Adæ, cum iuſtitia Chriſti, non currere, niſi in hoc, quòd ſicut Adæ peccatum fuit cauſa noſtri peccati originalis, ſubeundo per illud priuationem gratiæ, ſeu iuſtitiæ originalis, vt fusè perpendimus in tr. de peccato orig., ita iuſtitia Chriſti eſt cauſa noſtræ iuſtificationis, reddendo nobis gratiam, modo infra explicando. Sicut ergo peccatum originale, non eſt in nobis, per puram imputationem peccati actualis Adæ, quod eſt nobis extrinſecum, ſed ineſt nobis vt proprium, ex illo deriuans, vt eius effectus; ita iuſtificatio à peccatis, non fit per ſolam extrinſecam iuſtitiam Chriſti, nobis imputatã, ſed per aliquod nobis intrinſecum, ab illa deriuans, vt eius effectus. Vnde poſſet validè argumentum retorqueri, vt infra ex profeſſo examinabimus.

ARTICVLVS II.

An poſſit dari aliquod peceatum intrinſecè, & eſſentialiter irremiſſibile, omni genere condonationis?

Videtur poſſe, Primò quia ſi Deus reuelet Petro, reuelatione obligãte ad credendum, ſe nolle illi condonare

re primum peccatum quod patret, vllo genere condonationis, & Petrus licèt cognoſcat, ſe teneri ſub mortali, ad credendum Deo reuelanti, nollet illi credere, vtique diſcredendo peccaret mortaliter. Sed hoc peccatum incredulitatis, eſſet intrinſecè, & eſſentialiter incondonabile, vtpote quod eſſentialiter connecteretur, cum diuina reuelatione infalſificabili, & cum diuino decreto omninò infruſtrabili. Ergo poteſt dari aliquod peccatum, intrinſecè, & eſſentialiter incondonabile, ſeu irremiſſibile vllo genere condonationis. Maior videtur certa, cùm nulla ſit ratio, cur Deus non poſſit habere tale decretum efficax, & abſolutum, & illud alicui reuelare; neutrum enim tolleret libertatem reuelatario. Minor probatur, quia ſi Deus condonaret hoc peccatum, falſificaret ſuam reuelationem, & faceret contra ſuam voluntatem efficacem, & abſolutam. Cùm ergo vtrumque ſit ſimpliciter impoſſibile, hoc peccatum eſſet eſſentialiter irremiſſibile.

2. Dicitur 1. Ioan: 5. *Eſt peccatum ad mortem, non pro illo dico, vt roget quis*. Ergo datur aliquod peccatum adeo enorme, vt non mereatur applicationem meritorum Chriſti, per orationes ſanctorum, ſine qua condonari non poteſt, adeòque eſſentialiter petit non condonari.

3. Dictum eſt in tract. de præd diſp. 4. ar. 2. dari prædeſtinationem ad gratiam,

Digitized by Google

in experimentum fidelitatis. Quicumque ergo non eſt fidelis in tali experimēto, illo trāſacto, ſuorum criminum veniam non aſſequitur, adeòq; illa ſunt irremiſſibilia, vt accidit Iudæ, Anthiocho, & alijs.

Concl. *Nullum eſt poſſibile peccatū adeo graue, vt ſit intrinſecè, & eſſentialiter irremiſſibile, vllo genere condonationis* Dixi, *vllo genere condonationis*, quia cùm Deus poſſit pluribus modis remittere peccata, vt infra examinabimus, ſufficit nobis, quòd omne peccatum ſit aliquo ex illis modis condonabile.

Probatur 1. Hæc irremiſſibilitas, vel prouenirer ex obiecto, vel ex ſubiecto, vel ex Deo offenſo, vel ex ipſo actu peccaminoſo? Non poteſt dici primum, quia nullum obiectum prauum eſt tantæ actiuitatis, vt vincat diuinam miſericordiā. Neque ſecundum, quia quilibet homo, dùm eſt in via, poteſt agere pęnitentiam de ſuis culpis, & ab illis iuſtificari, vt definitur in Later & refertur in c. *Firmiter* de ſum. Trin. & in Trid ſeſſ. 14. c. 5. Neque tertium, quia dicitur Iſaiæ 55. *Derelinquat impius vias ſuas, & vir iniquus cogitationes ſuas, & reuertatur ad Dominum, & miſerebitur eius*. Sed Deus non poteſt promittere, quod non poteſt Ergo cùm promittat indefinitè pęnitenti veniam omnium peccatorum, poteſt omnia remittere. Neque quartum, quia omne peccatum, tàm in ratione malitię, quàm in ratione offenſæ, eſt ſimpliciter

ter finitũ,& limitatum. Ergo poteſt vinci à virtute infinita diuinæ miſericordiæ, vt fusè probaui in tr.de pœn.diſ.15.ar.1.& in tr.de Inc.diſp.4 ar.3 Ergo ex nullo capite poteſt eſſe intrinſecè irremiſſibile.

2. Nullum peccatum eſt adeo graue, vt ſit ex ſe magis malum, quam Deus ſit bonus, immò ſemper eſt Deus per infinitum exceſſum melior, & magis miſericors. Cùm ergo omne peccatum ſit remiſſibile, cuius Deus poſsit miſereri, omnia ſunt remiſsibilia:

Ad 1 quod fuit habitum inſolubilẽ, reſpondent aliqui, caſum eſſe impoſsibilem, ex hoc ipſo, quia ſequeretur peccatum irremiſsibile. Sed hoc ſuſtineri non poteſt, primò quia nititur falſo ſuppoſito, quod ſequeretur peccatum irremiſſibile, vt infra patebit. Et deinde, quia hæc irremiſsibilitas, vel proueniret ex decreto, vel ex reuelatione, vel ex complexo vtriuſque? Non primum, quia cũ Deus non cogatur ad remittenda peccata, poteſt prò libito nolle aliquod condonare. Hoc autem non immutat ſtatum ipſius peccati, cui eſt penitùs extrinſecum. Ergo remanet intrinſecè condonabile, ſicut remanet intrinſecè poſſibilis alius mundus, quamuis Deus decreuerit, illum non facere. Neque ſecundũ, quia ſicut poteſt alicui reuelare ſuam prædeſtinationem, & confirmationem in gratia,& in ſententia probabili, etiam reprobationem, cur non poterit reuela-

re tale decretum? Neq;tertium, quia hoc cõplexũ nõ tolleret libertatẽ reuelatarij, qui illo poſito,poſſet nõ patrare tale peccatum;neq; Deũ dedeceret, quia poſſet illud adhibere vt mediũ, ad retrahẽdũ reuelatarium,à talis patratione peccati.Ergo ex nullo capite caſus eſt impoſſibilis.

Reſpondent alij, admiſſo caſu,illam diſcredentiam pendere immediatè à reuelatione, vt cognita. Cùm ergo huiuſmodi cognitio ſit ex ſe fallibilis, poteſt adhùc dari, & obligare ad fidem, quamuis verè non daretur reuelatio. Atque adeo ſicut ſi non daretur reuelatio, diſcredentia eſſet remiſſibilis, ita eſt remiſſibilis,ſi verè detur,quia in vtroque caſu ſequeretur diſcredẽtia eiuſdem ſpeciei. Hoc autem poſſet vrgeri paritate finis. Cùm enim bonitas finis non moueat, niſi vt cognita, ideo perinde mouet cognitio bonitatis realis, atque apparentis, vt probauimus in 2.phyſicorũ.Sed hoc licèt habeat inſignes authores,ſuſtineri non poteſt, Primò,quia quidquid ſit de illa incredulitate reuelationis exiſtimatæ,poſita vera,& reali reuelatione, obligãte ad ſui fidẽ, quia hæc incredulitas de facto illã reſpiceret,de facto penderet ab illa eſſentialiter,adeoque quia condonari non poſſet, niſi illa falſificaretur,eſſe intrinſecè incondonabilis. Deinde incredulitas reuelationis exiſtimatæ, eſſet ſimpliciter de obiecto falſo.Ergo non eſſet eiuſdem ſpeciei, ac âlia de obiecto

cto infallibili. Præterea eſto, quòd eſſent eiuſdem ſpeciei quoad obiectum formale, quia tamen differrent quoad obiecta materialia, quorum vnum eſſet decretum verum, de non condonando peccatum, & aliud eſſet decretum exiſtimatum, ideo prima ex obiecto acciperet irremiſſibilitatem, quam non acciperet ſecunda.

Neque valet pariter finis, mouentis vt cogniti. Cùm enim finis ſit cauſa extrinſeca, non immutat intrinſecè voluntatem, ſicut reſpectus diſcredentiæ, ad decretum reuelatum, immutat ipſam intrinſecè, cum ſit reſpectus tranſcendentalis. Demum, ſi admittatur hæc doctrina, nullus actus fidei theologicæ eſſet certus, & infallibilis. Cùm enim accipiat certitudinem, ex obiecto motiuo, vt cognito, ex fallibilitate cognitionis, amitteret infallibilitatem, quod eſt erroneum. Quidquid ergo dicatur, ad ſaluandam infallibilem certitudinem veræ fidei, retorquetur ad caſum noſtrum: adeoque ex hoc capite non ſoluitur argumentũ.

Aug. Gibbo hic in fine ſecundi dubij reſpondet, quod tali peccato ex ſe, & intrinſecè non repugnaret remiſſio, ſed tantùm ab extrinſeco, & per accidens, quatenus videlicet ſupponeret decretum hoc reuelatum, cui repugnat coniungi cum remiſſione talis peccati, non ratione peccati, ſed ratione veritatis intrinſecę reuelationis, cui repugnat falſificari. Sed hæc quoque reſponſio, niſi caſti-

ſtigetur, vt infra, ſuſtineri non poteſt, Primò quia hoc peccatum eſſet eſſentialiter connexum cum tali decreto reuelato, quod reſpiceret vt obiectum eſſentialiter: Ergo eſſet intrinſecè irremiſſibile per hoc ipſum, quod reuelatio eſſet infalſificabilis. Deinde diuinum decretum non reſpiceret hoc peccatum, ſicut reſpiceret mendacium, & homicidium, ſed ſpeciali modo, nempè non ſolùm vt cauſa irremiſſibilitatis illius, ſed etiam vt obiectum, & terminus reſpectus tranſcendentalis illius. Ergo quamuis vt cauſa, faceret eius irremiſſibilitatem purè extrinſecam, ſicut faceret irremiſſibilem quodlibet aliud peccatum, quod nollet condonare, tamen vt obiectum, & terminus faceret irremiſſibilitatem illi intrinſecam, & eſſentialem. Demum hoc non eſt ſoluere, ſed ludere difficultatem. Cùm enim hæc verſetur, circa peccatum, eſſentialiter præſupponens hoc decretum reuelatum, non ſoluitur per hoc, quod per accidens, & ab extrinſeco illud præſupponat, quod non probatur, nec poteſt probari.

Reſpondeo igitur negando minorem. Et ad eius probationem dico, ex hoc ipſo quòd ex condonatione talis peccati, falſificaretur diuina reuelatio, apparet euidenter, illud ſolùm extrinſecè eſſe incondonabile, nempè ex ſola infalſificabilitate diuinæ reuelationis, quæ ſi poſſet eſſe falſa, poſſet componi cum eius re-

miſſio-

miſſione. Cùm ergo infalſificabilitas reuelationis, ſit illi adæquatè intrinſeca, cui eſt eſſentialis veritas, ideo irremiſſibilitas talis peccati, eſſet illi adæquatè extrinſeca. Neque obſtat, quòd hæc reuelatio, reſpiciatur eſſentialiter a tali peccato; ſiquidem non reſpicitur vt infalſificabilis, *ita* vt infalſificabilitas, vt formaliter talis, habeat rationem obiecti terminatiui, & ſpecificatiui talis reſpectus, ſed ſolùm vt locutio Dei, cum præciſione ab hoc, quod poſſit, vel non poſſit falſificari Ergo ſolùm materialiter, & identicè terminat talem reſpectũ, quod non facit mutationem intrinſecam, in ipſo reſpiciente. *Et ſi taliter caſtigetur, reſponſio nuper impugnata*, intrat limites veritatis.

Ad 2. Nego conſequentiam. Et ad auctoritatem allatam dico, dari quædam peccata adeo enormia, vt plerumque inducant mortem æternam, propter difficultatem conuerſionis, vt ſunt hæreſis, apoſtaſia à fide, cultus Dęmonis &c & ad hęc non dicit Apoſtolus, orari non poſſe, ſed ad talem orationem nõ hortatur omnes, quia magno indigent deprecatore, vt expendimus in tr de pęn diſp. 15. ar. 1. ad 1. cum Cornelio à Lapide.

Ad 3. Nego conſequentiam, quoad vltimam partem. Quamuis enim illi, qui malè ſe geſſerunt in experimento fidelitatis, plerumque ſuorum peccatorum veniam non obtineant, hoc tamen in lo-

co citato diximus, non prouenire ex eo, quòd talia peccata condonari nō poſſint, ſed quia ipſi peccatores nolunt reſipiſcere, propter difficultatem, quam ſentiunt in pęnitendo, adeoque neque petunt à Deo veniam, neque curant, quod nihil facit ad intentum arguentis.

ARTICVLVS III.

An iuſtificatio impij fiat per infuſionem gratiæ intrinſecè inhærentis ipſi iuſtificato?

VIdetur non fieri, vt garriunt Lutherani, & Caluiniſtæ, qui refricantes errorem nuper impugnatum, dicunt, fieri per iuſtitiam extrinſecùs nobis imputatam, quam aliqui explicant per bonitatem diuinam, & alij per merita Chriſti, ſola fide per modum conditionis, requiſitæ ex parte noſtri, nobis imputata. Eornm fundamenta ſunt, Primò quia 1. ad Cor. 1. dicitur, *Chriſtus factus eſt nobis ſapientia, & iuſtitia, & ſanctificatio.* Ergo non iuſtificamur iuſtitia propria, ſed per iuſtitiam Chriſti nobis imputatam. Hoc confirmant ex illo ad Roman. 3. *Iuſtitia Dei per fidem Ieſu Chriſti in omnes, & ſuper omnes, qui credunt in eum*, Et ad Rom. 15. *Per vnius obeditionem iuſti conſtituuntur multi.*

2. Non

2. Non dicitur iuſtificatus, niſi qui perfectè commeuſuratus fuerit diuinæ legi, cui nullatenus difformetur. Atqui per nullam formam intrinſecè inhærentem, poſſumus fieri perfectè iuſti, per adęquationem perfectam diuinæ legis. Ergo debemus fieri per iuſtitiam Dei, vel Chriſti nobis extrinſecus imputatam.

3. Iuſtificatio impij fit formaliter per ſolam remiſſionem peccatorum. Sed remiſſio peccatorum, eſt formaliter intrinſeca ſoli remittenti. Ergo eſt extrinſeca iuſtificato, qui ſolùm habet rationem puri termini extrinſeci, reſpectu illius, vt patet in humanis.

4. *Sola* iuſtitia Chriſti per fidem nobis imputata, ſufficit ad nos iuſtificandos. Ergo eſt illi iniurioſum, ſi aliquid nobis intrinſecum ponamus.

Prò reſolutione, aduertendum eſt, hic iuſtificationem non accipi in ſenſu legali, quatenus ſignificat comprobationem, ſeu declarationem innocentiæ, ſed in ſenſu theologico, quatenus nempe ſignificat tranſitum, quem facit peccator, à ſtatu diuinæ inimicitiæ, ad eius amicitiã. Præterquamquòd licèt acciperetur in ſenſu legali, adhuc coincideret cũ theologico, ſi ſermo ſit de iuſtificatione actiua, quatenùs dicit actum diuinum condonatiuum peccati. Quamuis enim poſſint iudices humani abſoluere impios, & damnare innocentes, hoc non cadit in Deũ, qui damnare non poteſt, niſi habentes ini-

qui-

quitatem, nec abſoluere, ſeu declarare innocentem, niſi eum, in quo ſit vera innocentia, ſeu iuſtitia.

Concl. *Iuſtificatio impij, de facto non fit per iuſtitiam Dei, aut Chriſti nobis imputatam, ſed per gratiam habitualem intrinſecè inhærentem, per quam mundatur impius, ab omni iniquitate.* Eſt de fide.

Probatur 1. ex Trid. ſeſſ. 6 can. 11. vbi expreſſis verbis, confutat omnes errores hæreticorum quoad hoc, & ſtatuit catholicam veritatem, *Siquis dixerit, homines iuſtificari, vel ſola imputatione iuſtitiæ Chriſti, vel ſola peccatorum remiſſione, excluſa gratia, & charitate, quæ in cordibus eorum per Spiritum ſanctum diffundatur, atque illis inhæreat, aut etiam gratiam, qua iuſtificamur, eſſe tantùm fauorem Dei, anathema ſit.* Ergo de hoc inter catholicos, dubitari non poteſt.

2. Ex multiplici teſtimonio ſacrorum codicum, vt ad Rom. 5. *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris*: Ad Titum 3. *Iuſtificati gratia ipſius hæredes ſumus, ſecundùm ſpem vitæ æternæ*: Ad Epheſ. 4. *Vnicuique noſtrum data eſt gratia, ſecundùm menſuram donationis Chriſti*: Io. 1. *Gratia, & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt*, & ſexcenta alia, quæ poſſent afferri, quibus adhęrens Aug. lib. de ſpir. & litt. c. 9 ſuper illud Apoſtoli, *Iuſtitia Dei manifeſta eſt*, inquit, *Non dicit Apoſtolus, iuſtitia hominis, ſed iuſtitia Dei, non qua Deus iuſtus eſt, ſed qua induit hominem, cum iuſtificat impium.*

3. Chri-

3. Chriſtus reparauit nobis, quod amiſimus per Adamum. Sed per Adamum, amiſimus iuſtitiam originalem, nempe, gratiam habitualem, quatenus ſubijciebat ſenſum rationi, & rationem Deo, hominem rectificando, vt explicuimus agentes de pec. originali. Ergo per Chriſtum redditur nobis talis gratia, non quantum ad omnes effectus, ſed quantum ad hoc, quòd rectificando animam, ex inimicis, euadimus amici Dei, & facimus tranſitum ex priuatione eius gratię, ad ipſam gratiā, vt docet Apoſt. 1. ad. Cor. 6. *Hæc quidem fuiſtis* (ſcilicet peruerſi) *ſed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis, ſed iuſtificati eſtis*, quæ ſonant non ſolum remiſſionem peccatorum, ſed etiam infuſionem gratiæ inhærentis, ſine qua nullus eſt ſanctificatus.

Vnde profligantur errores hæreticorum. Et ad 1. eorum fundamentum, ductum ex praua intelligentia ſcripturarū, reſpondeo ſingillatim. Ad 1. ergo dico, verè Chriſtum factum eſſe noſtram iuſtitiam, & ſanctificationem, non quidem formaliter, quatenus ipſe fuerit forma iuſtificans, & ſanctificans, ſed cauſaliter, quatenus fuit cauſa meritoria noſtrę iuſtitiæ, & ſanctificationis, eo modo quo Eſther dicebatur ſalus Hebręorum, quia fuit cauſa eorum ſalutis. Ad 2. Dico, iuſtitiam, & bonitatem Dei fuiſſe cauſam, vt Chriſtus nos redimeret, non ſolùm ſuo ſanguine abluēdo animas noſtras, ſed

etiam

Digitized by Google

etiam illas per gratiam, quam nobis meruit, ſanctificando. Quia tamen neutrum recipere poſſumus, ſine fide in illum, ideo dicitur, *per fidem Ieſu Chriſti*, quæ eſt prima radix noſtræ iuſtificationis, quæ ſine illa non fieret. Ad 3. Primò retorqueo argumentum, actuale peccatum Adæ, non facit poſteros formaliter peccatores, ſed ſolùm cauſaliter, quatenus cauſat in omnibus, & ſingulis maculam intrinſecè inhærentem, ita meritum obedientię Chriſti, , non ſanctificat nos formaliter, ſed ſolùm cauſaliter, modo nuper explicato. Deinde, ideo dicit Apoſtolus, quòd non omnes, ſed multi conſtituuntur iuſti, quia licèt Chriſtus prò omnibus mortuus fuerit, non tamen omnes recipiunt eius gratiam ſanctificantem, ſed ſolùm iuſtificati.

Ad 2. Nego minorem, Primò quia noſtra iuſtitia cum ſit viatorum, eſt amiſſibilis, & defectibilis, & ideo ſine ſpeciali priuilegio, de lege ordinaria, non reddit nos perfectè commenſuratos diuinæ legi, quod præſtabit in patria, vbi in gratia confirmati, erimus omnino impeccabiles. Deinde in multis eſt adeo perfecta, vt licet illos non retrahat ab omni culpa veniali, quæ eſt præter legem Dei, & non tollit diuinam amicitiam, illos tamen reddit immunes ab omni eo, quod eſt contra legem Dei, & tollit eius amicitiam, ſicut eſt peccatum læthale. Ergo habet commenſuratiouem conuenien-

nientem, & de lege ordinaria poſſibilem viatori. Demum ſi nulla forma intrinſeca poſſet habere hāc perfectam commēſurationem cum lege Dei, quantò minùs poterit haberi per ſolam extrinſecam imputationem iuſtitiæ Dei? Vel enim hæc imputatio redderet homines impeccabiles, vel non? Si primum, ergo ſemel iuſtificatus, non poſſet ampliùs peccare, quod repugnat Trid. ſeſſ. 6. can. 23. docenti, *Siquis dixerit, ſemel iuſtificatum, amplius peccare non poſſe, neque gratiam amittere, anathema ſit*. Si 2. ergo non erit immunis à venialibus, vt idem docet ibid. proſequendo canonem citatum, *Siquis dixerit, iuſtificatum poſſe in tota vita peccata omnia, etiam venialia vitare, niſi e ſpeciali priuilegio, anathema ſit*. Ergo per ſolam hanc imputationem, nullus eſſet inſtificatus, quod repugnat eidem in tota illa ſeſſ. & pręcipuè in canone ſexto.

Ad 3. Nego maiorem, propter rationes fundamentales adductas.

Ad 4. Nego antecedens. Quod autem hæc doctrina non ſit Chriſto iniurioſa, definitur à Trid. ibid can. vlt. docente, *Siquis dixerit, per hanc doctrinam, aliquã partem gloriæ Dei, vel meritis Chriſti derogari, & non potiùs veritatem fidei noſtræ, Deique, & Chriſti gloriam illuſtrari, anathema ſit*, cum per hoc ipſum glorificentur, quòd ſint cauſa talis formæ iuſtificantis.

AR-

ARTICVLVS IV.

An gratia formaliter iuſtificans, phyſicè, & ex natura ſua expellat peccatum, & conferat ſanctitatem?

SCotus in 1. d. 17. qu.2. § *de ſecundo*, & alibi reſpõdet negatiuè, cui præter aſſeclas, adhærent Nominales, Durandus, Gabriel, & alij, qui omnes dicunt, gratiam habitualem iuſtificantem, eſſe, quidem cauſam formalem intrinſecam, non tamen phyſicam, ſed moralem. Supponunt enim, ideo ab hac gratia produci hos effectus, quia Deus ſtatuit ab æterno, per illam qualitatem emundare animam à ſordibus peccatorum, illamque emundatam ſanctificare, qua non poſita, communi lege, illa qualitas ex ſe, non poſſet effectus illos præſtare. Vnde inferunt, gratiam ex natura ſua, inclinare hominem ad amorem Dei, & eſſe decorem, & pulchritudinem ſpiritualem animæ, à ſolo Deo producibilem, vt indiſtinctam ab habitu charitatis, ratione quorum, licèt non habeat cõnaturalem exigentiam proximam, & completam, vt ea condecoratus placeat Deo, & acceptetur in eius amicum, & filium adoptiuum, tamen habet ex ſe connaturalem exigentiam remotam, & inchoatam, ad hos

eſſe-

effectus, ratione cuius congruentius eſt, vt præeligatur à Deo ad hos effectus præſtādos, ſupra omnes alias qualitates. Quare hinc deducunt, gratiam ex ſola diuina ordinatione habere, quòd compleatur in eſſe formā adęquatam, & cauſam formalem intrinſecam noſtræ iuſtificationis, vt concludit Maſtrius hic diſp. 7. q. 1. ar. 1. n. 1. his verbis: *Id ergo quod aſſerere intẽdimus eſt, gratiam ſecundùm ſuam entitatem nudam, intrinſecam, & eſſentialem, in eſſe qualitatis, præſcindendo, à quocumque Dei decreto, non eſſe cauſam formalem vnitam, & perfectam noſtræ iuſtificationis, ſed prout ſubſtat diuinæ ordinationi, ſecundùm quam ſtatuit Deus, hominem habentem gratiam, liberari à peccato, & fieri filium Dei. adeo quod vtrumquo ad hũc effectum formalem concurrat, nimirum gratia, & diuina ordinatio, nec vnum ſine alio ſufficiat de facto.*

Et deinde n. 7. vt oſtendat, ab illis præter infuſionem gratiæ, non requiri nouũ aliquem extrinſecum fauorem Dei, hæc addit, *Licèt Scotus, præter nudam entitatẽ gratiæ, requirat diuinam ordinationem, & acceptationem, non tamen nouam, & ſubſequentem ipſius gratiæ infuſionem, ſed antiquam, & antecedentem, illam nempe, qua decreuit antecedenter ad gratiæ infuſionem, hominem gratia perfuſum, virtute ipſius liberari à peccato, & fieri filium Dei adoptiuum* Vnde infert, quòd licèt poſt infuſionem gratiæ, requiratur alius actus cō-

do-

donatiuus culpæ, quia tamen hic actus ponitur ad exigentiam moralem gratiæ, ideo non eſt nouus fauor, & extrinſecus, ſed conſumatio illius, qui fit in ipſa gratię collatione.

Hanc autem doctrinam taliter explicatã, probant Primò ex Tridentino ſeſſ. 6. cap 7. ſub cuius initium dicitur, *Iuſtificatio non eſt ſola peccatorum remiſſio, ſed & ſanctificatio, & renouatio interioris hominis:*. Ergo remiſſio peccati, eſt actus diſtinctus, adeòque ſpecialis fauor ab infuſione gratiæ; quam conſequentiam probant ex ſequentibus circa medium eiuſdem capitis, *Vnde in ipſa iuſtificatione cũ remiſſione peccatorum, hæc omnia ſimul infuſa accipit homo*, quę ſonant diſtinctionem, inter actum remiſſiuum peccati, & infuſiuum gratiæ; & clariùs ex canon. 11. *Siquis dixerit, homines iuſtificari, vel ſola imputatione iuſtitiæ Chriſti, vel ſola peccatorum remiſſione, excluſa gratia, aut etiam gratiam, qua iuſtificamur, eſſe tantùm fauorem Dei, anathema ſit.* Vbi aduertunt ly *ſola remiſſione*, quod denotat diſtinctionem à gratia, & ly *fauorem Dei*, quod denotat, etiam illum includi in iuſtificatione, eo modo quo cum dicitur, homo non eſt tantùm animal, ſignificatur, eſſe animal, & aliquid aliud, nempe rationale.

2. Ex Concilijs, Patribus, & ſcripturis vnanimiter aſſeritur, remiſſionem peccatornm fieri à Deo omninò gratis. Admiſſo

miſſo autem quòd illam ſaciat, ad phyſicam exigentiã gratiæ homini inhærentis, illa non eſſet omninò gratioſa. Ergo hæc doctrina magis propriè ſaluat locutionem ſcripturarum, & Patrum, quæ dicit, Deum condonare peccata ex mero ſuo beneplacito, quo ſe ab æterno determinauit, ad dandum gratiæ talem valorem, & exigentiam moralem, independenter à quacumque entitate creata, quæ ex natura ſua ſit illius exigitiua.

3. Gratia poteſt eſſe ſimul cum peccato. Ergo non eſt ex natura ſua illius expulſiua. Conſequentia patet, quia quæ ſe mutuò expellunt ab eodem ſubiecto, non poſſunt eſſe ſimul in eodem, vt patet in calore, & frigore in ſummo: priuatione, & forma, &c. Antecedens probatur, quia nullam habent oppoſitionem, neque enim habent contradictoriam, cùm ſint formæ poſitiuæ: neque contrariam, cùm ſint in diuerſo genere, nempe phyſico, & morali. Præterea non ſunt in eodem ſubiecto, cùm peccatum ſit in voluntate, & gratia in eſſentia animæ. Ergo ſolùm ſe expellunt moraliter, nempè ex diuina ordinatione.

4. Gratia ſecũdùm ſuam entitatem præcisè conſiderata, non habet, niſi quòd ſit principium diligendi Deum ſupernaturaliter. Ergo nihil habet, ratione cuius debeatur ſuo ſubiecto, remiſſio peccatorum, & collatio vitæ æternæ; adeòque vtrumque habet ex diuina præordi-

natione. Sicut enim ipſe actus charitatis id non habet, vt videbimus, multò minùs hoc habet eius principium. Neque poteſt hoc retorqueri in lumine gloriæ, quia, hoc ex ſe habet, vt ſit principium proximum clarè videndi Deum, vnde illi debetur, quòd ſuum ſubiectum videat clarè Deum.

5. Caracter baptiſmalis, & ordinis, nō ex natura ſua, ſed ex pura extrinſeca ordinatione Chriſti, conſtituunt, ille Chriſtianum, & hic Sacerdotem. Ergo etiam gratia præſtat effectus aſſignatos, ex præuia ordinatione Dei, & Chriſti, adeòque non ex natura ſua, ſed moraliter.

6. Si gratia ex ſe haberet facere amicum, & filium adoptiuum Dei, non poſſet Deus non dare hæreditatem, & filiationem illam habenti, nec poſſet illum non conſeruare, quæ ſunt abſurda.

7. Peccatum mortale differt ſolùm quantitatiuè à veniali, in materia furti. Ergo non differunt ſpecie. Atqui veniale poteſt eſſe cum gratia. Ergo & mortale.

Concluſio, *Quamuis poſſit vt probabilis propugnari ſententia Scoti, tamen cenſeo, eſſe multò probabilius, quod gratia iuſtificans impium, ſit ex natura ſua incompoſſibilis cum peccato, quod proinde phyſicè expellat, & conferat formaliter ſanctitatem.*

Probatur prima pars, quia cùm gratia poſſit conſiderari, in eſſe gratiæ, & in eſſe

eſſe qualitatis,quidquid illi tribuitur à Thomiſtis, conuenit illi, vt gratia ſanctificans, & iuſtificans eſt: & quidquid illi tribuitur à Scotiſtis, conuenit illi,vt eſt pura qualitas, & conſideratur in genere naturæ,ſicut vt gratia,cōſideratur in eſſe moris,& in genere theologico,quatenùs videlicèt ſubſtat diuinę ordinationi, per quam completur in eſſe gratiæ,vt explicat Maſtrius hic diſp.7. qu 1. n.19. Ergo quia hæc opinio ſaluat omnes definitiones Eccleſiæ, & dicta Conciliorum, & Patrum in hac materia, vt idem probat in tota illa quæſtione, eſt valdè probabilis. An autem gratia habeat ex ſę expellere peccatum, & ſanctificare phyſicè,vel moraliter, cùm nihil definitum habeamus ab Eccleſia, dummodò ſaluetur, gratiam iuſtificantem impium, eſſe illi intrinſecè inhærentem,per modum cauſæ formalis, & verè expellere ab illo impietatem, inducendo ſanctitatem,& filiationē adoptiuam Dei, cum eius amicitia, reliqua ſpectantia ad modum hæc ſaluandi, non repugnantem Eccleſiæ definitionibus, poſſunt problematicè diſputari, & de facto non deſunt inſignes propugnatores vtriuſque partis.

Probatur ſecunda, quam communiter propugnant Thomiſtæ; Primò ex Trid. ſeſſ.6. cap.7. in quo tàm apertè loquitur prò hac ſententia, vt illam reddat longè probabiliorem. Nam initio capitis, ait, *Iuſtificatio non eſt ſola peccatorum remiſ-*

miſſio, ſed & ſanctiſicatio hominis, per ſuſceptionem gratiæ. At ſi gratia non haberet ex ſe expellere impietatem, & inducere formaliter ſanctitatem, per eius ſuſceptionem non haberetur remiſſio peccatorum, & collatio ſanctitatis, ſed ſe haberet ad hos effectus, vt forma impertinens, ſicut ſe haberet quælibet alia forma, ſi à Deo fuiſſet ordinata ad hos effectus. Sicut enim ſi calor non haberet ex ſe formaliter calefacere, non poſſet aliquis per introductionem caloris in lignum, illud formaliter calefacere, ita Deus, vt cauſa efficiens iuſtificationis, nō poſſet per collationem gratiæ in animam impij, illum formaliter emundare, & sẵctificare, ſi gratia ex ſe non haberet præſtare hos effectus. Et ideo ſubditur, *Vnde homo ex iniuſto fit iuſtus, & ex inimico amicus,* denotando per ly *vnde* principiũ formale proximum horum effectuum, vt infra clariùs exponit, *Qua videlicet ab eo donati* (nempe gratia) *renouamur ſpiritu mentis noſtræ, & non modò reputamur, ſed verè iuſti nominamur, & ſumus.* Sed ſi gratia non eſſet ex ſe iuſtitia, & ſanctitas, hęc non eſſent vera, ſaltem in ſenſu formali, ſed adſummum in ſenſu cauſali moraliter. Ergo eſt talis ex natura ſua.

2. Cauſa formalis non diſtinguitur in re à ſuo effectu formali, quem præſtat ſolùm per ſui communicationem, & inexiſtentiam in ſubiecto, vt toties alibi proba-

bauimus. Sed gratia, ſeu iuſtitia, qua Deus nos iuſtos facit, eſt cauſa formalis intrinſeca vnica, & adæquata, qua emũdatur impius, & ſanctificatur, vt definitur à Trid. loc. toties citato. Ergo per ſe ipſam, & non per aliquid ſuperadditum, emundat, & ſanctificat. Sicut enim ſanctitas Dei conſtituit Deum formaliter iuſtum, & ſanctum per eſſentiam, quia eſt talis ex natura ſua, ita gratia quia eſt ſanctitas, & iuſtitia participata ex ſua natura, conſtituit hominem iuſtum, & ſanctum per participationem.

3. Si gratia ex ſe in remiſſione peccati, & ſanctificatione, ſe haberet vt forma extranea, ſicut eſſet albedo, nullam ex natura ſua habens virtutem innatam ad hos effectus, ſed ex pura extrinſeca ordinatione diuina, iuſtificatio non fieret per gratiam, ſed per purum fauorem extrinſecum Dei, liberè adhibentis talem qualitatem, ſicut poſſet adhibere quamlibet aliam impertinentem, & diſparatam. Ergo incideretur in errorem hæreticorum ſupra relatum, impugnatũ, & damnatum à Trid. ſeſſ. 6. can. 11. Ergo ideo adhibetur, quia ex ſe eſt formaliter talis, & non per extrinſecum fauorem Dei, ab illa ſeparabilem, per cuius ſeparationem eſſet componibilis cum peccato, & cum diuina inimicitia,

4. Peccatum habituale conſiſtit formaliter in priuatione gratiæ ſanctificantis, vt connotante actum peccaminoſum

præteritum, vt videbimus in loco. Ergo per ſe ipſum formaliter eſt incompoſſibile cum tali gratia. Atqui incompoſſibilitas debet eſſe mutua, vtpote inducēs mutuam expulſionem à communi ſubiecto. Ergo etiam gratia eſt incompoſſibilis, cum tali peccato, adeòque per ſe ipſam illud expellit, tamquam habens cum illo oppoſitionem priuatiuam. Aliter peccatum hoc non poſſet à Deo deſerui. Cùm enim ab illo non conſeruetur, non poſſet illud deſtruere, per ſubtractionem concurſus. Ergo ideo poteſt illud deſtruere, quia poteſt in eius ſubiecto, ponere gratiam illi oppoſitam.

ARTICVLVS V.

Soluuntur obiecta, & roboratur doctrina Thomiſtica.

AD I. Nego conſequentiam. Cùm enim ſanctificatio ſit effectus formalis poſitiuus, & excluſio peccati ſit effectus formalis negatiuus, alter primarius, & alter ſecundarius, poſſunt ab vna & eadem cauſa formali prouenire. Nam vnus, & idem calor, & calefacit ſubiectum, & expellit ab illo frigus, per vnū, & eundem motum virtualiter duplicem; neq; ignis vt expellat frigus, multiplicat actionem, ſed per eandem actionem calefa-

factiuam, introducit calorem in ſubiectũ quod facit calidum, & expellit ab illo frigus, faciendo non frigidum. Et ideo Tridentinum loco cit. docet, *Vnica formalis cauſa iuſtitia Dei, non qua ipſe iuſtus eſt, ſed qua nos iuſtos facit*, nempe gratia habitualis, quod non eſſet verum, ſi præter illam, requireretur etiam fauor extrinſecus, remiſſiuus peccati, qui eſſet ſecunda cauſa formalis iuſtificationis. Et hinc patet reſponſio, ad ſecundum locum Concilij. Ad 3. Dico, in tali canone damnari ſimul tres errores, nempe quòd *iuſtificatio fiat per ſolam imputationem iuſtitiæ Chriſti*: & alium quòd *fiat per ſolam condonationem extrinſecam peccatorum*, & tertium quòd *gratia iuſtificans non ſit intrinſecè inhærens, ſed tantùm extrinſecus fauor Dei*. Quare illæ particulæ excluſiuæ *ſola*, & *tantùm* non veniũt formaliter in ipſa damnatione, ſed ſolùm obiectiuè, in propoſitionibus damnatis, quod non euenit in illa propoſitione, *homo non eſt tantùm animal*, in qua ly *tantùm* venit de formali, & conſtituit illam propoſitionem, in eſſe excluſiuam. Ergo exemplum non eſt ad rem.

Ad 2. Nego minorem. Cùm enim Deus non teneatur, ad largiendam impio ſuam gratiam, ex natura ſua illum iuſtificantem, vtique per illam purè liberaliter, & miſericorditer iuſtificat, cùm infuſio gratiæ ſit formalis iuſtificatio, nec inuoluant duos actus diſtinctos, ſed vnum

tantùm. Immò in hoc magis apparet benignitas Dei, quæ talem formam ſeligit, ex gratuito ſuo beneplacito, quę per ſe ipſam poſſit iuſtificare, quàm ſi præberet formam, ex natura ſua ineptam ad talem effectum. Cùm enim ſtatuerit iuſtificare per formam intrinſecam, congruentius fuit, quòd elegerit formam per ſe aptam, quàm ineptam, quàm ſolùm potuiſſet adhibere, non vt cauſam formalem, ſed vt purum teſtem, ad cuius pręſentiam ipſe immediatè iuſtificaret, ſicut faceret ad præſentiam albedinis, vel alterius formæ omninò diſparatæ.

Ad 3. Nego antecedens, cuius falſitas patebit infra. Ad eius probationem dico, inter peccatum, & gratiam, licèt non detur immediata, & directa oppoſitio, dari tamen mediatam, & indirectam, quatenus inferunt effectus contrarios, nẽpe eſſe amicum, & inimicum Dei, in quibus continetur virtualis contradictio, vt patet. Prætequamquòd non eſt neceſſe, quòd omnia incompoſſibilia ſint oppoſita, cùm formæ ſubſtantiales, in probabili ſententia, ſe inuicem excludant ab eadem materia, abſque vlla oppoſitione, quod idem dico de ſumma materialitate, cum gradu intellectiuo: de peccato, & vnione hypoſtatica, & multis alijs.

Ad 4. Nego antecedens, & dico, gratiam habitualem, non ſolùm èſſe principium diligendi Deum, ſed etiam eſſe

for-

formam ſanctificantem animam, quam facit filium adoptiuum Dei. Ergo per ſe ipſam dat ſubiecto, emundationem à ſordibus peccati, & ius ad gloriam, vt debitam filio Dei.

Ad 5. Nego conſequentiam. Sicut enim ſacramenta cauſant phyſicè gratiã, licèt habeãt virtutem, ex ſola inſtitutione Chriſti, ita & caracter. Deinde quidquid ſit de caractere, de quo agemus ſuo loco, ex illo non valet illatio ad gratiam, quæ non habet cnm illo cõnexionem eſſentialem.

Ad 6. Nego cõſequentiam. Siquidem probauimus in tr. de Deo vno, cum Aug. D. Thoma, Trid. & alijs, Deum non poſſe negare vitam æternam, decedentibus in gratia, vt videre eſt diſp. 18. ar. 1. quod idem fuſiùs confirmauimus in tr. de Prædeſt. Vnde ſequitur, in hac prouidẽtia, teneri Deum beatos manutenere, & conſeruare illos, in poſſeſſione ſui regni; aliàs non ſeruaret promiſſa, dandi eis vitam æternam. Hoc tamen nihil derogat de perfectiſſimo, & abſoluto dominio, quod habet in omnes creaturas, quas ſicut extraxit ex nihilo, ita poſſet de plenitudine poteſtatis, omnes ad nihilum reuocare.

Ad 7. Diſtinguo conſequens, non differunt philoſophicè, tranſeat: moraliter, & theologicè, nego. Et ratio eſt, quia cùm deformitas furti, deſumatur ex dãno, quòd infert proximo, à Deo prohi-

bitum, quò maius eſt damnum, eò eſt maior difformitas à lege Dei. Quia ergo leue damnum, non facit, niſi leuem difformitatem, ideo ſicut non eſt ſufficiens, ad tollendam amicitiam cum domino rei ablatę, ita neque ſufficit, ad tollendam amicitiam cum Deo, adeòque eſt compatibile cum eius gratia.

Ex dictis variæ ſequuntur, & ingentes difficultates, quarum prima eſt, an actus contritionis, & charitatis poſſint per ſe ipſos formaliter iuſtificare? 2. An peccatum læthale poſſit de potentia abſoluta, componi cum gratia, in eodem ſubiecto? 3. An poſſit Deus per infuſionem gratiæ habitualis, iuſtificare impium, à peccatis non retractatis? 4. An poſſit Deus peccatorem iuſtificare, abſque vlla forma intrinſeca iuſtificante, per puram condonationem extrinſecam? Et demum, an poſſit Deus remittere peccatum actuale, dùm actu fit? Quæ omnes cùm non poſſint in vno articulo exagitari, ideo in ar. ſeq. agemus de prima, & de alijs in ſubſequentibus.

AR-

Digitized by Google

ARTICVLVS VI.

An actus contritionis, & charitatis poſſint per ſe ipſos eſſe formaliter iuſtificantes à peccatis?

VIdentur poſſe, vt contendit Vaſquez 1. 2. diſput. 203 cui adhærent Hurtadus, Meratius, Turrianus, & Ianſenius, Primò quia hoc videtur patere e ſacris paginis, etiam de facto. Nam Lucę 7. Dixit Chriſtus de Magdalena, *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Et 1. Petri 4. *Charitas operit multitudinem peccatorum:* & Prou. 10. *Vniuerſa delicta operit charitas,* & Ioan: 14. *Siquis diligit me, Pater meus diligit eum,* & Prou 8. *Ego diligentes me diligo,* & multa alia. Ergo per ſe ipſos ſufficiunt, & non requirunt aliam formam diſtinctam iuſtificantem.

2. Auguſt. lib. de nat. & gratia c 42. apertiſſimè docet, *Charitas veriſſima, pleniſſima, ac perfectiſſima iuſtitia eſt;* quod idem confirmat ibid. c. vlt. & ſuper illud ad Roman. 5. *Iuſtificati gratis,* inquit, *Si Deus non reciperet confugientes ad ſe, eſſet in eo iniquitas.* Ergo qui confugiunt ad Deum per actus contritionis, & dilectionis Dei, per hoc ipſum formaliter fiunt ami-

ci Dei, adeòque iuſtificantur; aliter ſi remanerent peccatores, non eſſet iniquitas, illos repellere.

3. Actus charitatis eſt perfectior ipſo habitu, qui ad illum ordinatur. Ergo ſi habitus charitatis, vt indiſtinctus à gratia, per ſe ipſum formaliter iuſtificat, multò magis iuſtificat eius actus.

4. Per hos actus deſtruuntur formaliter omnia conſtitutiua peccati, nempe, auerſio à Deo per actum charitatis, & conuerſio ad creaturas per actum contritionis. Ergo deſtruitur perfectè peccatũ. Præterea redditur Deo ratio vltimi finis, ablata affectiuè per peccatum. Ergo fit perfecta cum illo reconciliatio, abſque vlla alia forma ſuperaddita.

5. Pluris valet apud Deum, conuerſio propriæ voluntatis ad illum, quàm, auerſio ab illo per alienam voluntatem. Sed actus charitatis eſt conuerſio ad Deũ per propriam voluntatem. Ergo ſaltem poteſt iuſtificare, ab auerſione à Deo facta per peccatum originale, quæ fuit per ſolam Adæ voluntatem.

6. Dilectio Dei ſuper omnia, habet maiorem oppoſitionem, cum auerſione à Deo, propria peccati, quam viſio beatifica. Sed hæc per ſe ipſam expellit omne peccatum, quod eſt ſumma miſeria, aliter non eſſet ſumma fælicitas. Ergo à fortiori dilectio Dei, per ſe ipſam expellit peccatum.

Concl. *Actus contritionis, & charitatis,*

ne-

neque de facto, neque de poſſibili, formaliter iuſtificant, expellendo peccatum, & ſanctificando, abſque infuſione gratiæ. Eſt communis inter Thomiſtas, cum Suario, Coninch, Ouiedo, Lorca, Eſparſa, Amico, Granado, Tannero &c.

Prima pars patet ex dictis, quibus probauimus, gratiam eſſe ſolam, & vnicam cauſam formalem iuſtificationis. Probatur ſecunda, Primò quia hi actus concurrunt ad iuſtificationem ſolùm diſpoſitiuè, vt probabitur infra. Cùm ergo omnis diſpoſitio ex parte ſubiecti, reducatur ad cauſam materialem, ſicut ex parte cauſæ ad efficientem, non concurrunt, niſi materialiter diſpoſitiuè. Et ideo dicitur Ier. 3. *Conuertimini, & ſanabo vos:* & Iſaiæ 55. *Derelinquat impius vias ſuas, & reuertatur ad Dominum, & miſerebitur eius,* quæ eſſent vana, ſi ipſe motus reuerſionis ad Dominum, eſſet formaliter iuſtificatiuus, ſupponendo quod ſit perfectus, vt dicitur Ioel. 2. *Conuertimini ad me in toto corde veſtro.* Siquidem cùm effectus formalis non diſtinguatur à cauſa formali, ſi tales actus poſſent per ſe ipſos formaliter iuſtificare, fruſtrà illos habentibus promitteret iuſtificationem, vt nouum beneficium ad illos conſequẽs, quod eſſet perinde, ac promittere homini animam, ex ſuppoſitione quòd exiſtat, & illam habeat.

2. Ex Tridentino ſeſſ. 6. cap 4. docente, *Fuit autẽ quouis tẽpore neceſſarius motus*

contritionis, ad impetrandam veniam peccatorum. Ergo ipſe motus contritionis, non eſt formalis remiſſio peccatorum; aliter fuiſſet neceſſarius ad ſe ipſum impetrandum, quod eſſet ridiculum, ſicut eſſet, ſi dicatur, eſſe neceſſariam hominis exiſtentiam, vt impetretur à Deo, quòd homo exiſtat.

3. Quod non eſt per ſe ipſum formaliter tale, non poteſt à Deo fieri, vt ſit formaliter tale, cùm defectum cauſæ formalis, à Deo ſuppleri non poſſit, vt alibi ſępe probauimus. Et hęc eſt ratio, cur Deus non poſſit facere, quòd paries per albedinem formaliter calefiat, vel albeſcat fotmaliter per calorem. Sed hi actus non ſunt formaliter ſanctitas, & peccatorum remiſſio, vt paſſiuè in ſubiecto conſiderantur, aliter etiam de facto præſtarent hos effectus, cùm cauſa formalis non poſſit non præſtare, ſuum effectum formalem, à ſe indiſtinctum. Ergo neque poſſunt fieri formaliter tales.

4. Peccatũ habituale cõſiſtit in priuatione gratię ſanctificantis, vt videbimus. Ergo non poteſt formaliter expelli, niſi per ipſam gratiam, quæ vnicè ſibi opponitur. Atqui contritio, & dilectio nõ opponuntur formaliter priuationi gratiæ. Ergo non poſſunt eſſe formalis cauſa iuſtificationis, quæ debet eſſe talis (vt ſupra probauimus) vt per ſe ipſam formaliter ſanctificet animam, & expellat ab ea peccatum.

Digitized by Google

Vnde patet reſponſio ad 1. Siquidem loca ſcripturarum adducta, debent exponi de cauſa diſpoſitiua ad iuſtificationem, non autem de formali.

Ad 2. Reſpondeo eodem modo, nempe charitatem eſſe perfectam iuſtitiam, diſpoſitiuè, & non formaliter. Quòd autem Deus eſſet iniquus, niſi reciperet cōfugientes ad ſe, hoc nō probat, quod ipſe actus confugiendi, ſit Dei receptio; aliter confugientes ad Deum, præſtarent ſibi formaliter receptionem Dei, quod eſt abſurdum.

Ad 3. Nego antecedens, primò quia habitus ſupernaturalis non gignitur ab actu, ſicut naturalis, & ideo dat poſſe per modum potentiæ, vt diximus in logica. Sed cauſa eſt perfectior effectu. Ergo hic habitus eſt perfectior actu. Neque obſtat, quod ille ordinetur ad hunc, nam etiam cauſa vt talis ordinatur ad effectū, & tamen eſt illo perfectior. Deinde, quia habitus eſt qualitas permanens, à Deo infuſa, & ideo remanet in patria, vt principium amoris beatifici, qui eſt tāto perfectior amore viatoris. Ergo etiam ipſe actus amoris in via, vtpote fluens, & non remanens in patria, & dependens eſſentialiter in fieri ab ipſo viatore, eſt illo imperfectior.

Ad 4. Nego antecedens quoad vtramque partem, Primò quia prælatio Dei ad creaturam, non tanti valet, atq; prælatio creaturæ ad Deum, facta per pecca-

Digitized by Google

cat um, vt expendimus in tr. de Inc. diſp 3. ar. 4. ad 4. Et deinde quia per contritionem, non redditur Deo negatio contemptus, per prælationem rei præceptæ, cuilibet vtili, ſeu delectabili, vt inibi diximus ad primum.

Ad 5. Nego conſequentiam. Ex eo enim quòd ſecundùm comparationem, peccati Adę, cum actu noſtro charitatis, concedatur præponderantia huius ad illud, non ſequitur quòd hic poſſit illud formaliter deſtruere. Rationem attulimus in tr. de Inc. diſp. 3. ar. 3. Quia videlicèt illud ſubmiſit totam naturam humanam. Ergo non poteſt expelli, niſi per aliquid, quod poſſit eleuare totam naturam, cuiuſmodi non poteſt eſſe actus charitatis, vnius puri hominis viatoris. Vnde inibi intulimus, fuiſſe neceſſariam ſatisfactionem hominis Dei, ſeu Perſonæ diuinæ humanatæ.

Ad 6. Nego minorem, cùm probauerimus in tract. de beat. diſp. 7 ar. 2. impeccabilitatem beatorum, non prouenire formaliter à viſione, ſed effectiuè, quatenus videlicèt determinat voluntatẽ beati, ad amorem neceſſarium Dei, qui cùm ſit incompoſſibilis cum peccato, ſaltem mediante gratia ſibi debita, non ſolùm expellit omne peccatum, ſed etiã potentiam proximam ad peccandum. Deinde nego Maiorem. Quamuis enim viſio, vt formaliter talis, non habeat oppoſitionem directam, & immediatam cũ pec-

peccato, illam tamen habet mediatè, & indirectè, quatenus determinat voluntatem, ad amorem neceſſarium Dei, vt nuper diximus. Ergo quia hæc oppoſitio eſt permanens, & ſtabilis, quia eſt intrinſecè inamiſſibilis, vt inibi probauimus, eſt multò maior, quam oppoſitio actus charitatis in via cum peccato, quæ eſt fluens, & amiſſibilis.

ARTICVLVS VII.

An gratia habitualis poſſit de potentia abſoluta, componi cum peccato, tàm actuali, quàm habituali?

VIdetur poſſe, vt affirmant Scotiſtæ cùm Gabriele, Okamo, Suar. Leſſio, Coninch, Bellarmino & alijs. Primò quia vel peccatum expellit gratiam, quando illa exiſtit, vel quando non exiſtit? Hoc ſecundum non poteſt dici, quia quod non eſt, expelli non poteſt, cùm expulſio formæ ſit ad formam, quæ per ipſam expulſionem amittat eſſe, quod actu habet. Ergo eſt verum primũ, adeòque prò eodem inſtanti, dàtur ſimul peccatum expellens, & gratia quæ expellitur.

2. Caius liberè omittens actum præceptum charitatis, ideo peccat, quia potuit illum non omittere. Non potuit autem

tem non omittere, niſi habuerit habitum charitatis, ſeu gratiam habitualem, quæ ſunt vnum, & idem, aliter non fuiſſet proximè potens illum elicere. Ergo ſimul habuit omiſſionem peccaminoſam, & gratiam habitualem.

3. Poſſet Deus efficaciter, & abſolutè decernere, conſeruare in Petro prò inſtanti A. gratiam habitualem, quam obtinuit per iuſtificationem. Ergo ſi Petrus peccaret prò illo inſtanti, poneret peccatum cum gratia. Cùm ergo hic caſus ſit poſſibilis, tàm ex parte decreti, quod Deo non repugnat, quàm ex parte Petri, qui per tale decretum non amittit libertatem, eſt compoſſibilis gratia cum peccato.

4. Peccatum ſolùm demeritoriè, & moraliter eſt cauſa expulſionis gratiæ, quatenus videlicèt peccās actualiter, meretur in pœnam priuari gratia. Cùm ergo Deus poſſit ſuſpendere pœnam quācumque, poteſt illum non priuare gratia, quam actu habet, adeòque conſeruare gratiam cum peccato actuali.

5. Remiſſio peccati, eſt ſecundarius effectus gratiæ. Ergo poteſt à Deo impediri. Cùm enim gratia expellat peccatum, non formaliter vt forma oppoſita, ſed ſolùm exigendo nouum fauorem Dei, quo condonet ſuo ſubiecto, peccatum quod habet, poteſt Deus illi non ſatisfacere, ſicut defacto nō ſatisfecit exigentiæ ignis, ad comburendos pueros, in fornace Babylonis.

1. Con-

1. Concl. *Neque peccatum actuale, neque habituale, poteſt eſſe cum gratia habituali, etiam de potentia Dei abſoluta.*

Probatur prima pars, quam tuentur communiter Thomiſtæ, cum Valquez, Argentina, Eſparſa, Amico, Gibbone, & alijs, Primò ex dictis articulo 4. & ſeqq in quibus probauimus, gratiam phyſicè, & ex natura ſua expellere peccatum, & cum illo opponi virtualiter, & mediatè contradictoriè. Ergo nullo modo poteſt cum illo componi. Et hęc ratio eſt adeo euidens, vt præfocet difficultatem, quam libenter omiſiſſem, niſi communiter agitaretur, & vt ſimul appareat, quàm ſint ruinoſa fundamenta opinionis contrariæ, ad quorum tantùm ſolutionem, inſtitui quæſtionem, vt infra patebit.

2. B. Pius V. & Gregor. XIII. damnarunt propoſitionem Baij, quæ eſt 70. nempe, *Homo exiſtens in peccato mortali, ſiue in ſtatu damnationis, poteſt habere veram charitatem, & charitas etiam perfecta poteſt conſiſtere, cum reatu æternæ damnationis.* Sed vera charitas ſupponit habitum charitatis, & gratiam habitualem, vt principium neceſſarium, ſiue ab inuicem diſtinguantur, ſiuè non, de quo infra. Ergo gratia habitualis, non poteſt aſſeri compoſſibilis cum peccato, ſiue actuali, ſiue habituali, cùm ex vtroque reſultet ſtatus damnationis, & reatus pœnæ æternæ.

Pro-

Probatur ſecunda pars ex infra dicendis, peccatum habituale neceſſariò conſtituitur per gratiæ priuationem, vt connotantem peccatum actuale præteritum, non retractatum: gratia verò, cum ſit formaliter ſanctitas, neceſſariò trahit, vt ſuum effectum formalem ſecundarium, ablationem peccati, quod eſt formaliter impietas, & deordinatio. Ergo ſi eſſent ſimul, darentur ſimul ex vtraque parte contradictoria, nempe peccatum, & non peccatum: gratia, & non gratia, quod eſt abſurdum.

2. Concl. *In ſententia Scotiſtarum poſſunt ſimul componi gratia habitualis, in eſſe qualitatis, cum vtroque peccato, non verò in eſſe gratiæ.*

Probatur ex dictis ar. 4. In tali ſentententia, gratia, vt eſt qualitas, non completur in eſſe gratiæ, niſi per diuinam præordinationem, qua decreuit habenti talem qualitatem, condonare quodcumque peccatum. Ergo poſſet Deus, ſaltem reſpectu alicuius, non preordinare talem qualitatem, ad remiſſionem peccati. Ergo poſſent in tali caſu ſimul aſſociari, nō quidem in eſſe gratiæ, in quo inuoluitur decretum, condonandi peccatum, ſed in eſſe naturæ, & qualitatis. Quia tamen quæſtio procedit de gratia, vt formaliter tali, ideo præciſo modo illam conſtituēdi, etiam in hac ſententia, gratia vt gratia, eſt incompoſſibilis cum peccato.

Ad 1. Dico, à peccato expelli gratiam,

tiam,quando illa eſt tranſeunter,per modum recedentis. Quia ergo hic tranſitus, cùm ſit de eſſe ad non eſſe, neceſſariò includit vtrumque terminum, nempe *à quo*, & *ad quem*, ideo non poteſt fieri in vno inſtanti, ſed neceſſariò includit inſtans, in quo gratia vltimò eſt, & inſtans, in quo primò non eſt. Cùm enim per talem tranſitum, debeat ſubiectum tranſire, ex gratia,ad eius priuationem, debet intrinſecè aliter nunc ſe habere, ac ſe habuerit antea. Ergo debet includere nunc, & antea, quæ ſunt duo inſtantia, vt fusè probauimus in 1. phyſ. agentes de principijs rerum in fieri. Vnde ſequitur, quòd licèt peccatum, & gratia ingrediantur eandem ſubiecti mutationẽ, & tranſitum gratiæ recedentis,per aduentum peccati,non tamen ſint in eodẽ inſtãti, ſicut diximus de forma, & priuatione, ſe mutuò expellentibus à ſubiecto.

Ad 2. Nego conſequentiam, quæ facit tranſitum ex actu primo, ad ſecundũ. Aliud enim eſt, quòd omittendo actum præceptum, potuerit illum facere,& per actum impedire eius omiſſionem,& aliud quòd cum omittit, poſſit actum elicere impeditiuum omiſſionis. Hoc enim ſecundum appellat potentiam ſimultatis, per quam poſſint ſimul coniungi, actus cum eius omiſſione, & illud ſimultatem potentiæ in actu primo,ad alterutrũ faciẽdum in actu ſecundo. Et ratio à priori eſt, quia cũ libertas conſiſtat in potentia in-

indifferenti ad vtrumlibet, hæc non poteſt retineri, cũ actuali determinatione ad vnam partem; implicat enim, Petrum actu operantem, non operari, vel actu omittentem, non omittere. Ergo in tantum alterutrum eligatur, dicitur liberè fieri, inquantum prouenit à principio indifferenti, non quidem in actu ſecundo, ſed in primo, in quo quia fuit habitus charitatis, ideo potuit elici eius actus, qui non poteſt poni, poſita omiſſione, deſtructiua talis habitus.

Dices, ergo in actu ſecundo, licèt non retineatur potentia ſimultatis, tamen retinetur ſimultas potentiæ, adeoque gratia cum peccato.

Nego conſequentiam. Quando enim actus ſecundus, pugnat cum principio ad oppoſitum, in eius poſitione, non poteſt hoc retineri. Nam ex.g. Petrus liber ad ambulandum, vel non ambulandum, ſemper retinet potentiam loco motiuam, ſiue ambulet, ſiue non ambulet, quia neutrũ eſt illi oppoſitum, per modum deſtructiui. At ſi omittat ambulare, per truncationem ſuorum crurium, quia talis obtruncatio corrumpit potentiam loco motiuam, per talem omiſſionem, omittit principium ambulandi, vnde potuit quidem in actu primo, non tamen poteſt ambulare in actu ſecundo, ex defectu potentiæ. Idem accideret, ſi aliquis liberè videret ſolem, vel ſpeculum parabolicũ, vnde obcæcaretur, amitteret per talem

actum

actum poſſe videre. Et in moralibus, ſi Petrus accipiat equum phaleratũ à Principe, ſub ea conditione, vt ſi ſe non comitetur ad bellum, amittat equum, per ſolam omiſſionem comitatus Principis, amittit equum phaleratum, vnde redditur impotens, ad equitandum. Sic accidit in caſu noſtro.

Ad 3. Nego minorem ſubſumptam. Quamuis enim Petrus, in ſenſu compoſito cum tali decreto, remaneret cum libertate ad peccandum, non tamen poſſet illam exercere, propter impedimentum gratiæ.

Ad 4. Nego antecedens, cùm ſupra probatum fuerit, peccatum non ſolùm moraliter, ſed etiam phyſicè expellere gratiam. Præterquamquòd licèt ſolùm moraliter expelleret gratiam, adhuc expelleret prò illo inſtanti, in quo ipſum eſt, cùm Deus in eo inſtanti, in quo videret Petrum peccantem, poſſet moueri, ad illi infligendam concomitanter pœnam priuationis gratiæ.

Ad 5. Nego conſequentiam, eò quia hic effectus formalis gratiæ, licèt ſecundarius, ſit eſſentialiter connexus cum primario, propter phyſicam repugnantiam, quam habet gratia cum peccato. Vnde corruunt eius probationes.

Digitized by Google

ARTICVLVS VIII.

An poſſit Deus per infuſionem gratiæ habitualis iuſtificare impium à peccatis non retractatis? Vbi an poſſit remitti peccatũ dùm actu ſit?

Videtur non poſſe, vt contendunt Albertus, Amicus, & alij, Primò quia Deus non poteſt vllo modo ſupplere defectum cauſæ materialis, vel formalis, vt alibi probauimus. Sed retractatio concurrit ad iuſtificationem, in genere cauſæ materialis. Ergo non poteſt à Deo ſuppleri eius defectus, docente D. Tho. 3. par. qu. 86. ar 2. *Impoſſibile eſt, peccatum remitti, ſine pœnitentia virtute*, hoc eſt ſine retractatione. 2. Non poteſt impius iuſtificari, niſi conuertatur ad Deum. Ergo cùm non poſſit ad Deum conuerti, niſi retractando offenſam, debet illam retractare. 3. Dùm ſit peccatum, non poteſt condonari. Sed peccatum non retractatum, quia conſeruatur à voluntate, actu ſit, cùm conſeruatio ſit continuata productio, vt alibi probauimus. Ergo vt condonetur, debet retractari.

Concluſio, *Quamuis peccatum remitti non poſſit, dùm actu ſit, tamen dum tranſijt in habituale, remitti poteſt de potentia abſolu-*

ſoluta, ſine retractatione peccatoris, non tamen de lege ordinaria. Ita Scotus, Bonauentura, Suarez, Delugo, Valentia &c.

Probatur prima pars, Primò quia Deus non poteſt infundere gratiam remiſſiuā peccati, niſi cedat ſuo iuri, quod habet, vt ſibi de illo ſatisfiat. Atqui Deus ante ipſum peccatum, non habet tale ius, quod ſolùm acquirit per ipſum actuale peccatum. Ergo ſi dùm actu peccatur, renunciaret tali iuri, vel renunciaret iuri, quod non habet, vel illud ſimul acquireret, & non acquireret, quæ ſunt abſurda. Neque ante peccatum, poteſt renunciare iuri per illud acquirendo, quia daret impunitatem ante peccatum, adeòq; per hoc ipſum peccatum non eſſet peccatum, eò quia Deo non diſpliceret. Ergo prò inſtanti peccati, non poteſt dari gratia remiſſiua illius. Deinde peccatum non poteſt condonari per gratiam iuſtificantem, niſi penitùs deſtruatur, vt ſupra diximus. Ergo ſi dùm fit, per gratiam remitteretur, prò eodem inſtanti reali, daretur, & non daretur, quod eſt impoſſibile. An autem poſſit remitti per puram condonationem extrinſecam, videbitur infra.

Probatur ſecunda, & Primò de peccato originali, quod de facto remittitur in pueris, abſque eorum retractatione: & in adultis, licèt de facto non remittatur, ſine aliqua præuia diſpoſitione, vt patebit

D

bit, tamen in alia prouidētia, poſſet etiam remitti ſine illa, cùm poſſit Deus infundere gratiam iuſtificantem adultis dormientibus, vel nihil aduertentibus. Et ratio eſt, quia cùm fuerit contractum, abſque propria voluntate, poteſt etiam ſine illa cooperante remitti. Probatur deinde de peccato habituali perſonali. Et primò quia ſi Deus infunderet dormienti gratiam iuſtificantem, non ſolùm illum emundaret à peccato originali, ſed etiam ab habituali perſonali, propter incompoſſibilitatem talis gratiæ, cum quocumque peccato læthali. Quòd autem poſſit, probatur, quia retractatio non poteſt requiri vt formaliter deſtructiua peccati, aliàs gratia non eſſet vnica cauſa formalis iuſtificationis, vt docuimus cum Trid. Ergo requiritur ſolùm vt diſpoſitio, quæ in ordine ad Deum, vt ſupernaturaliter operantem, non eſt ſimpliciter neceſſaria. Sicut enim poteſt introducere formam naturalem in ſubiectum non diſpoſitum, ita & ſupernaturalem. Deinde quia ad tollendum peccatum habituale, Deus non alligauit ſuam miſericordiam, cum actibus peccatoris. Ergo poteſt ſine illis, dare illi gratiam iuſtificantem.

Prbatur tertia, Primò ex c. *Maiores* de baptiſmo c. 3 in quo Innoc. 3. ſic definit, *Peccatum, quod conſenſu contrahitur, ſine conſenſu minimè relaxatur.* Deinde ex dicendis, cum agemus de diſpoſitioni-

nibus neceſſarijs ad iuſtificationem. Et demum quia gratia habitualis adoptat peccatorem in filium Dei, dando illi ius ad eius hęreditatem. Atqui de lege ordinaria, nemo reconciliatur cum inimico, niſi velit cum illo reconciliari, nec adoptatur in filium, niſi conſentiat, ſi ſit adultus, & poſſit, acceptando ſin patrem ipſum adoptantem. Hæc autem acceptatio non eſſet ſincera, ſi vellet cum illo retinere odium,& inimicitiam. Ergo debet vtrumque odiſſe, & deteſtari, vt filium decet.

Ad 1. Nego maiorem, quæ vniuerſaliter non eſt vera, vt videmus in accidentibus euchariſticis,quæ effectiuè conſeruat extra ſubiectum, quod connaturaliter exigunt. Quando ergo diximus, à Deo ſuppleri non poſſe defectum cauſæ materialis, & formalis, locuti ſumus de intrinſecis, & conſtitutiuis, cuiuſmodi ſunt materia, & forma, non autem de extrinſecis, cuiuſmodi ſunt diſpoſitiones, quæ non conſtituunt intrinſecè per modum partis iuſtificationem, ſed prærequiruntur ex parte iuſtificandi, vt diſponatur ad recipiendam gratiam, quæ ſola eſt cauſa formalis iuſtificationis. Ad auctoritatem D. Thomæ dico, illum loqui de facto, non autem de poſſibili,& ideo non eſt contra nos.

Ad 2. Dico, illud valere de facto, in hac prouidentia ita ſtatuente, non verò in alia Deo poſſibili.

Ad 3. Nego minorem, quæ valet ſolùm in cauſis phyſicis, non verò in moralibus. Diſparitas eſt, quia effectus phyſicus conſeruari non poteſt, niſi per phyſicum influxum, æquiualentem illi, quo tractus eſt extra cauſas, adeòque qui ſufficeret ad illum primò ponendum in rerũ natura, vt patet in conſeruatione mundi, quæ non minorem exigit influxum Dei, quàm exegerit in prima ſui creatione; & ideò ſicut ab illo pependit in fieri eſſentialiter, ita & in conſeruari. Hoc non valet in moralibus; ſiquidem offenſa facta Principi, dicitur permanere moraliter in ipſo offendente, quoadusque retractetur, vel ſatisfiat, non quia perſeueret ipſe actus offenſiuus, qui iam prꝫterijt, & non durat, ſed quia remanet in offenſo ius, vt ſibi ſatisfiat ab offendente, in quo remanet obligatio ad ſatisfaciendum, qui ſunt effectus morales. Quia ergo poteſt Deus cedere iuri ſuo, & dare ipſi offenſori gratiam, per quam paſſiuè liberetur à tali obligatione, ideo poteſt facere, quod peccatum habituale non perſeueret, per ſolam ceſſionem ſui iuris in peccatorẽ, cui communicet gratiam ſanctificantem. Quid ſit autem peccatum habituale, & quomodo perſeueret moraliter, prò nunc aliqua diximus, nihil determinando, quod præſtabimus ſuo loco.

AR-

ARTICVLVS IX.

An poſſit Deus remittere peccatum, abſque vlla forma intrinſeca peccatori, per ſolam condonationem extrinſecam?

VIdetur non poſſe, vt communiter docent Thomiſtę ex D. Thoma 1. 2. qu. 113. ar. 2. quibus accedunt Vaſquez, Amicus, Bellarminus, Valentia, Eſparſa, & alij. Primò quia quidquid Deus vult in tempore, voluit ab æterno, cùm ſit immutabilis. Ergo cùm ab æterno non potuerit ſimul velle contradictoria, ſicut eſſent amare, & non amare eumdem peccatorem, neceſſe eſt, quòd ipſe peccator mutetur per gratiæ receptionem, ex peccatore, in non peccatorem; aliter Deus inciperet nunc diligere, quem odit ab æterno, quod faceret Deum mutabilem.

2. Auerſio voluntaria à Deo, quæ eſſentialiter inuoluitur in peccato, non poteſt auferri per alienam voluntatem, cùm enim illa ſit ab intrinſeco eſſentialiter, non poteſt auferri, niſi per aliud intrinſecum illi oppoſitum. Sed voluntas Dei non poteſt fieri intrinſeca peccatori. Ergo non poteſt auferre ab illo auerſionem à Deo habitualem, ſeu actualem,

lem adeoque non poteſt illi condonare peccatum, ſine dono aliquo intrinſeco, cum illo impoſſibili.

3. Si poſſet iuſtificari habitualiter peccans, poſſet etiam actualiter peccans. Sed hoc repugnat, vt dictum eſt art. 8. Ergo, & illud. Probatur maior, quia, qui eſt in peccato habituali, cenſetur sẽper retinere peccatũ actuale præteritum, in quo ſibi complaceat, quoaduſque illud auerſetur, & retractet. Ergo in tali ſtatu, eſt ſemper actualiter peccans.

4. Prædeſtinatus ad gloriam, lapſus in peccatum, diligitur habitualiter à Deo, licèt hic, & nunc oderit in illo peccatum, quod ab illo non tollit, per hanc ſuam, extrinſecam dilectionem. Ergo nullus actus diuinus eſt remiſſiuus peccati, niſi ponat in peccatore aliquam formam intrinſecam, per quam illud deſtruatur. Et ideo D. Tho. loc. cit. concludit, *Non poteſt intelligi remiſſio culpæ, ſi non adſit infuſio gratiæ.*

5. Deus non poteſt aliquid deſtruere, niſi per ſubtractionem ſui concurſus, vel ponendo aliquid cum illo incompoſſibile. Sed peccatum habituale non poteſt deſtruere primo modo, quia illud non, conſeruat. Ergo debet deſtruere ſecundo modo, nempe per gratiæ infuſionem, cum illo incompoſſibilem.

6. In ſtatu naturæ eleuatæ, peccatum, habituale, vel conſiſtit in ſola priuatione gratiæ, vel illam eſſentialiter inuoluit.

Digitized by Google

uit. Sed priuatio gratiæ non poteſt auferri, niſi per ipſam gratiam. Ergo non poteſt remitti peccatum habituale, per ſolam extrinſecam condonationem.

7. Deus non poteſt condonare peccatum, niſi reconcilietur cum peccatore. Sed non poteſt reconciliari cum peccatore, niſi illum diligat, adeòque ex inimico, illum faciat dignum ſuo amore, per aliquod donum illi intrinſecum, per quod fiat ex inimico amicus. Ergo non poteſt purè extrinſecè condonare.

8 Impoſſibile eſt, fieri tranſitum, ex vno contradictorio ad aliud, ſine mutatione intrinſeca alicuius extremi. Sed Deus condonando peccatori, tranſit ex inimicitia illius, ad eius amicitiam. Ergo debet interuenire aliqua mutatio, quæ cum non poſſit in Deum cadere, debet neceſſariò cadere in ipſum peccatorem.

Concl. *Quamuis Deus non poſſit de potentia abſoluta, iuſtificare peccatorem, quoad effectum poſitiuum ſanctitatis, ſine aliquo dono illi intrinſeco ſanctificante, tamen poteſt quoad effectum negatiuum remiſſionis peccati, quod poteſt remittere per puram condonationem extrinſecam.*

Probatur prima pars, quia iuſtificatio impij, quoad effectum poſitiuum, ſuperaddit remiſſioni culpæ, collationem ſanctitatis, amicitiæ, & filiationis adoptiuæ Dei. Sed hæc non poſſunt haberi, niſi per donum aliquod ſupernaturale, per quod impius transferatur intrinſecè

e ſtatu inimicitiæ, ad ſtatum capacitatis, & iuris ad diuinam hæreditatem. Ergo cùm per ſolam remiſſionem culpæ, ponatur in ſuis naturalibus, ſecuudùm quæ nõ poteſt acquirere ius ad diuinam hæreditatem, debet acquirere aliquod gratuitum ſibi intrinſecum, cuiuſmodi ſunt gratia, vel vnio hypoſtatica, per quod eleuetur ad talem ſtatum. Præterea formalis ſanctitas eſt vita animæ, ſicut peccatum eſt eius mors. Cùm ergo vita non poſſit haberi per principium formale extrinſecum, ſanctitas non poteſt haberi per iuſtificationem extrinſecam, ſed debet haberi per formam intrinſecam, quæ reddat iuſtificatum, poſitiuè iuſtum, ſanctum, & dignum amore Dei, & vita æterna. Et in hoc omnes conueniunt.

Probatur ſecunda pars, quam propugnant Scotus in 1. d. 17. q. 6. & cum eo omnes aſſeclę, & D. Bonau. Greg. Gabriel Argentina, Suar; Granadus, Coninch, & plurimi alij. Primò quia quòd poſſunt homines offenſi, non debet negari Deo. At homines poſſunt condonare inimico offenſã, relaxando totum debitum, quod ex illa contraxit offendens, ad ſatisfaciendum offenſo, & ex parte ſui omne ius, quod exinde percęperunt, ad petendam ſatisfactionem, abſque vllo dono intrinſeco ipſi offendenti, immò abſque vlla mutatione intrinſeca illius. Ergo etiam Deus poterit hoc modo, condona-

Digitized by Google

re offenſam, ſibi illatam per peccatum. Maior patet, quia hinc non ſolum non ſequeretur vlla indecentia, ſed potius maximus decor diuinæ maieſtatis, quæ in exercitio benignitatis, & miſericordię, non ſineret vinci ab hominibus. Minor probatur, nam nullum eſt debitum, quod non poſſit gratis, & purè liberaliter condonari à creditore debitori, etiam inſcio, & nullo modo petenti relaxationem, vt patet in materia furti, læſionis perſonalis &c. Et ratio eſt, quia creditor non tenetur exigere à debitore ſolutionem ſui debiti. Ergo poteſt illum liberare, per puram ceſſionem ſui iuris. Nulla autem eſt ratio, cur hoc idem non poſſit Deus, de potentia abſoluta. Ergo poteſt.

Neque obſtat, quòd amor hominis, non cauſet, ſed ſupponat bonitatem in amato, cui ex amore condonat debitum; amor autem Dei non ſupponit, ſed cauſat bonitatem. Siquidem cùm hęc bonitas cauſetur per phyſicum influxum, poteſt illo ſuſpenſo, non cauſari. Ergo poteſt eſſe purè condonatiuus, cùm non teneatur ad aliquod poſitiuum efficiendum; aliter non eſſet omninò liber ad operandum ad extra, quòd eſt abſurdum.

2. Quidquid eſt in peccato, poteſt auferri à Deo, per puram dilectionem condonatiuam. Ergo poteſt auferri totum peccatum. Antecedens probatur, Nam iniuria, & offenſa poſſunt remitti, per pu-

puram relaxationem iuris, acquiſiti ad vindictam. Item poſſunt auferri inimicitia, & auerſio à Deo, illa per liberalem, & ſpontaneam reconciliationem, & acceptationem in amicum, & auerſio à Deo, per diuinam dilectionem, quæ cũ ſit eminenter gratia habitualis, ſicut per hanc tollitur defacto, vt formam intrinſecam, ita de poſſibili per illam, vt formam extrinſecam.

3. Poteſt Deus auferre gratiam à Petro iuſto, nullum habente peccatum. Ergo etiam poterit auferre peccatum ab eodem, licèt nullam habeat gratiam. In tali caſu Petrus remaneret negatiuè iuſtus, quatenus nihil haberet odio dignum, non poſitiuè, quia careret ſanctitate, vt dictum eſt ſupra. Neque obſtat quòd gratia pendeat à Deo, & ideo per ſubtractionem concurſus, poteſt non conſeruari, quod non valet de peccato. Siquidem etiam peccatum pendet à Deo negatiuè, quatenus videlicèt intantum permanet habitualiter in homine, inquãtum à Deo non remittitur. Ergo habet Deus in ſua poteſtate, quòd illud conſeruetur, vel auferatur, abſque eo quòd aliquid intrinſecum ponat in peccatore.

Ad 1. Nego conſequentiam, quia Deus potuit ab æterno, velle in tempore. A. condonare Petro peccatum, quòd patrauit in tempore antecedenti, per ſolam illius extrinſecam condona-

tio-

tionem. In tali caſu, Deus non mutaretur in tempore, quia ſtaret in decretis ab æterno: neque Petrus, quia nihil in ſe reciperet, tranſeundo ex peccatore in non peccatorem, per denominationem, prouenientem à ſola forma extrinſeca diuinæ condonationis.

Ad 2. Diſtinguo maiorem, auerſio voluntaria à Deo, non poteſt auferri per alienam voluntatem creatam, concedo: per increatam, & ſubdiſtinguo, non poteſt auferri philoſophicè, concedo: theologicè, nego. Et admiſſa minori, diſtinguo conſequens, non poteſt voluntas Dei auferre à peccatore voluntariam auerſionem à Deo, philoſophicè, concedo: theologicè, nego conſequentiam. Explico diſtinctionem, ad hoc vt aliquis ſit habitualiter auerſus à Deo, illiq; infenſus theologicè, nō ſufficit, quòd non retractauerit actum, per quem receſſit à Deo, ſed præterea requiritur, quòd Deus retineat ius cōtra illum, ad hoc vt ſibi ſatisfaciat. Si ergo Deus ex mera ſua bonitate, ceſſerit tali iuri, non remanet in peccatore, theologica auerſio habitualis à Deo, ex defectu prædicati eſſentialis, & multò minùs infenſio, ſeu inimicitia habitualis cum Deo, licèt detur philoſophica, quæ ſemper durat, quoaduſq; offēſor, offenſam, à qua ceſſat, phyſicè non retractet. Habemus claras inſtantias in voto, & in debito ciuili. Si enim Petrus voto ieiunandi obſtrictus, inſcius abſoluatur à

Superiore, quantum eſt ex parte ſua, tenetur ad votum, non tamen Deus ad illud obligat, quia per ſuperiorem illũ abſoluit, quamuis inſcium: & ideò ſi non ieiunet, non facit peccatum theologicũ, eò quia non faciat contra diuinam volũtatem (quæ iam illi relaxauit debitum ieiunandi, & ceſſit iuri ſuo, quod contraxit ex voto, petendi ieiunium, in eius ſolutionem,) ſed ſolùm philoſophicum, niſi poſitiuè renunciet (ſi poſſit) cuicumque relaxationi, & liberè velit remanere ſub voto, quia tunc cenſetur per nouum illum actũ, votum reuocari. Neque obſtat quòd ieiunet, ex falſo iudicio, quòd adhùc teneatur ieiunare; nam tunc per conſcientiam erroneam, inducit ſibi obligationem ieiunandi, quam verè non habet à Deo; & ideo peccat ſolum philoſophicè. Nec valet paritas aliorum peccatorum, quæ fiunt per conſcientiã erroneam. Nam ad illa, ſe habet Deus per modum poſitiuè acceptantis obligationem, non faciendi hoc, vel illud, reſultantem ex conſcientia erronea, dictante hic, & nunc hæc obiecta eſſe vitanda; & ideo ſi fiant, reclamante conſcientia, fiunt contra diuinam voluntatem. At in caſu noſtro, Deus ſe habet per modum recuſantis illam obligationem, quam poſſet inducere conſcientia erronea de ieiunio, poſito quòd illam liberè, & poſitiuè reiecerit, relaxando. Aliter de eodem haberet ſimul voluntates oppoſi-

tas,

tas, quòd repugnat. Ex quo ſequitur, quòd taliter errans in iudicando, remaneret ſibi obligatus ad ieiunandum, & non Deo; & ideo patraret peccatù purè philoſophicum. Idem dico de debitore, qui inſcius abſoluatur à creditore, & de alijs ſimilibus.

Dices. Ergo poſſet idem remanere ſimul, prò eodem inſtanti, habitualiter inſenſus Deo, per hoc quòd non retractauerit voluntariam auerſionem à Deo. & amicus eidem, per habitam extrinſecam condonationem illius. Concedo totum, iuxta ſenſum explicatum. Cum enim inſenſio, & amicitia eſſent in diuerſo genere, nempe philoſophico, & theologico, non haberent ad inuicem repugnantiam.

ARTICVLVS X.

Soluuntur reliqua argumenta cōtraria.

AD 3. Nego maiorem, cum ſua probatione, cum quæſtio procedat de ſolo peccato habituali. Suppoſito autem, quòd peccator aſſiduò ſibi complaceat poſitiuè, & phyſicè de actu prauo, quem ratihabeat, talis eſſet in ſtatu peccati actualis multiplicati; contra quem valeant quæ diximus in prima parte concluſionis. Ad permanentiam ergo peccati habitualis, non requiriturquòd actua-

ctuale præteritum ratihabeatur, ſed quòd licèt ab illo ceſſetur, remaneat in peccatore priuatio gratiæ, & obligatio ad pænam, & in Deo ius ad illam infligendam, niſi ſibi ſatisfiat, præſcindendo nũc, an vna, vel altera conſtituat eſſentiam peccati habitualis, de quo alibi.

Dices, qui non vult retractare offenſam, de illa ſibi complacet. Ergo ſaltem ratihabet virtualiter. Diſtinguo antecedens, qui poſitiuè, & directè non vult retractare, concedo: qui ſolùm indirectè, & negatiuè non vult, nego antecedens, & ſub eadem diſtinctione, etiam conſequentiam. Explico diſtinctionem; Poteſt aliquis nolle poſitiuè recedere ab aliquo, ex amore illius, & poteſt nolle negatiuè, non quia illud amet, ſed quia terretur ex difficultate receſſus, vt accidit furi, qui licèt oderit actum furandi præteritum, tamen ex difficultate reſtitutionis, retrahitur ad illud compenſatione debita retractandũ. In primo caſu, quia actualiter peccat, nõ poteſt iuuari per condonationem extrinſecam; bene autem in ſecundo, de quo ſolo procedit quęſtio.

Ad 4. Admitto conſequentiam, ſi procedat defacto, ſicut loquitur S. Thomas loco citato; nego autem, ſi procedat de poſſibili, cùm plura poſſit Deus facere, quæ defacto non facit, non quia non poſſit, ſed quia non vult. Præterquamquòd quia prædeſtinatum peccatorem,

rem, dirigit ad gloriam, ideo non congruit, quõd illi purè extrinſecè remittatur peccatum, cùm illi non ſufficiat, fieri ex peccatore, non peccatorem, ad acquirendum ius ad gloriam, ſed requiratur ſanctitas ſupernaturalis, per quam fiat filius adoptiuus Dei, & ideo illi remittit Deus, de lege ordinaria, per ſolam gratiam ſanctificantem, peccatum habituale.

Ad 5. Nego maiorem, ſi procedat de incompoſſibili, per modum formæ inhærentis intrinſecè. Cùm enim etiam remiſſio purè extrinſeca, ſit incompoſſibilis cum peccato habituali, quòd eſſentialiter inuoluit eius carentiam, per illam ſolam poteſt illud deſtruere.

Ad 6. Diſtinguo minorem, priuatio gratiæ non poteſt auferri, phyſicè, ſine gratia, concedo: moraliter, & theologicè, nego minorem, & conſequentiam. Diſparitas eſt, quia cùm priuatio phyſica formæ, conſiſtat in carẽtia illius, cum aptitudine ad illam, & cum hæc aptitudo ſit ſubiecto eſſentialis, non poteſt eſſe in ſtatu medio, inter priuationem, & formam; adeòque habita carentia formę neceſſariò ſubiectum eſt ſub eius priuatione, & viceuerſa. Priuatio verò theologica, quia fundatur in debito habendi formam, ideo poteſt ſubiectum remanere ſub eius carentia, quin remaneat ſub eius priuatione, vt accideret, ſi ab illo auferretur debitum habendi talem formam.

Digitized by Google

mam. Quia ergo debitum habendi gratiam, fundatur in eleuatione naturæ humanæ, ad ordinem ſupernaturalem, ideo poſſet Deus auferre à peccatore talem ordinem, illique purè extrinſecè condonare peccatum, in quo caſu, quia gratia non eſſet debita, eius carentia non eſſet priuatio, ſed negatio, vt eſſet in pura natura. Præterea priuatio gratiæ, non habet rationem maculæ, & peccati habitualis, niſi quatenus eſt debita ſubiecto, ratione peccati actualis præteriti nõ remiſſi. Cùm ergo Deus poſſit purè extrinſecè remittere hoc peccatum, ideo poteſt auferre à ſubiecto, debitum habendi talem priuationem, & ſic carentia gratię, eſſet quidem priuatio phyſica, quæ non maculat animam, non autem moralis, & theologica, quæ in eſſe talem, fuiſſet ablata, vt optimè docet *Maſtrius hic qu. 3. diſp. 7. n. 74.*

Ad 7. Nego minorem. Cùm enim ſupra probatum ſit, infuſionem gratiæ, eſſe aliquid ſeparabile à remiſſione peccati, quamuis de facto non ſeparentur, vt docet Trid. tamen poſſent ſeparari, vt accideret in caſu cõdonationis extrinſecę, in quo daretur iuſtificatio imperfecta, nempe quoad ſolum effectum remiſſionis culpæ, non verò quoad effectum poſitiuũ infuſionis gratiæ. Deus ergo in tali caſu diligeret quidem peccatorem, auferendo ab illo diuinam inimicitiam, quod eſt maximum bonum priuatiuum, non tamen

men dando illi bonum poſitiuum ſuæ gratiæ, per quod conſtitueret illum ſuum amicum, & filium adoptiuum.

Ad 8. Diſtinguo maiorem, non poteſt fieri tranſitus phyſicus, concedo: moralis, & theologicus, nego maiorem. Sicut enim diximus in 1. phyſ. quòd purè omittens, tranſit ex actu primo ad 2. solùm moraliter, quatenùs videlicèt in actu primo, eſt ſub priuatione phyſica formæ non *debitæ*, & in actu 2. ſub priuatione mo*rali*, nempe actus præcepti, ita dicimus in tali caſu, quòd Deus per condonationem extrinſecam, faceret quòd peccator, non quidem phyſicè, ſed moraliter mutaretur, per tranſitum à ſtatu peccati, ad non peccatum, ſine vlla phyſica mutatione intrinſeca, propter traditam rationem. Cùm enim gratia non ſit debita homini, niſi ex diuina ordinatione, qua illum eleuauit ad finem ſupernaturalem, ſi ab aliquo tollat hunc ordinem, illum collocando in ſtatu puræ naturæ, vtiq; carentia gratiæ in tali homine, non eſſet priuatio moralis, eò quia neque illi eſſet debita gratia, neque eius priuatio, ex admiſſione peccati. Ergo eſſet priuatio purè phyſica, quæ non facit ad rem, cùm hæc hominem apud Deum non macularet.

DI-

DISPVTATIO II.

De diſpoſitionibus præequiſitis ad impij iuſtificationem.

QVæremus 1. An impius debeat diſponi ex parte ſui, ad recipiendam gratiam iuſtificantem? Deinde an ſola fides ſufficiat, & qui actus prȩter illam requirantur? 3. An requiratur formalis dilectio Dei? 4. An actus contritionis, & charitatis deriuent ab ipſa gratia iuſtificante? Et demum an habitus charitatis diſtinguatur ab ipſa gratia habituali ſanctificante?

ARTICVLVS I.

An debeat peccator diſponi, ad recipiendam gratiam iuſtificantem?

VIdetur, nullo modo neceſſaria diſpoſitio, ex parte peccatoris, Primò quia

Digitized by Google

quia ſi gratia repēderetur intuitu diſpoſitionis, con conſerretur gratis, quod repugnat Apoſtolo ad Rom. 3. *Iuſtificati gratis per gratiam ipſius:* & cap.4, *Ei, qui operatur, merces non imputatur ſecundùm gratiam, ſed ſecundùm debitum*, eò quia ſubiecto ritè diſpoſito debeatur formã. 2. Niſi peccator præueniatur gratia, non poteſt agere ſicut oportet, vt definitur à Trid. ſeſſ. 6. can. 3. & ideo *Deus eſt ille, qui facit, vt peccator faciat*, ſicut docet Aug. tr. 72. in Io. At ſi prærequireretur diſpoſitio, homo faceret, vt Deus faceret 3. *Deus non ex operibus iuſtitiæ, quæ facimus nos, ſed ſecundùm ſuam miſericordiam ſaluos nos fecit*, vt dicitur 3. ad Titum c. 5. At ſi requirerentur diſpoſitiones, Deus nos ſaluaret ex illis. 4. Diximus diſp. 1. ar. 8. poſſe Deum infundere impio gratiam, iuſtificantem à peccatis non retractatis. Ergo nulla requiritur diſpoſitio, aliter primò requireretur retractatio 5. Eſt maius miraculum liberare hominem à morte animæ, quàm corporis, vt docet Aug. loc. nuper cit. Non eſſet autem miraculum, introducere gratiam, quã præcedunt diſpoſitiones. Ergo non requiruntur.

Concl. *Ad iuſtificationem adulti, tàm poſitiuam, quàm negatiuam, de lege ordinaria, eſt neceſſarium quòd ille diſponatur, per fidem, ſpem, timorem, odium peccati, dilectionem Dei, propoſitum emendationis, & obſeruantiæ mandatorum*. Eſt communis inter catholicos. Pro-

Probatur 1. ex Trid. ſeſſ. 6. c. 5 & 6. in quibus tàm luculenter exponit hanc neceſſitatem, vt ſufficiat eius verba referre, quæ ſunt hæc, *Diſponuntur autem ad ipſam iuſtitiam, dùm excitata diuina gratia, & adiuti, fidem ex auditu concipientes, liberè mouentur in Deum, credentes vera eſſe quæ dicuntur reuelata, & promiſſa ſunt, atque à Deo iuſtificari impium per gratiam eius, & redemptionem, quæ eſt in Chriſto, & dum peccatores ſe eſſe intelligentes, à diuinæ iuſtitiæ timore, quo vtiliter concutiuntur,* & quæ ſequuntur. Ex quibus patet, ad veram iuſtificationem, quæ c. 7. dicitur eſſe, *non ſola peccatorum remiſſio, ſed & ſanctificatio, & renouatio interioris hominis per voluntariam ſuſceptionem gratiæ, & donorum,* eſſe neceſſaria omnia, quæ recenſuimus in concluſione.

Deinde e ſacris paginis. Nam de fide, dicitur ad Heb. 11. *Sine fide impoſſibile eſt placere Deo; accedentem enim ad Deum oportet credere*. De timore dicitur c. 1. Eccleſiaſtici, *Timor Domini expellit peccatum; nam qui ſine timore eſt, non poterit iuſtificari*. De ſpe ad Rom 8. *Spe ſalui facti ſumus*, & clarius 1 Io: 3. *Omnis, qui habet ſpem in eo, ſanctificat ſe*. De pænitentia Ezech. 18 *Si impius egerit pænitentiam de omnibus peccatis ſuis, & cuſtodierit præcepta mea, viuet*, & Lucæ 13. *Niſi pænitentiam habueritis, omnes peribitis*. De dilectione inquit Chriſtus D. Io: 14. *Qui diligit me, diligetur à Patre meo*. De propo-

poſito emendationis, dicitur 18. Ezech. *Proijcite à vobis omnes præuaricationes veſtras, & facite vobis cor nouum, & ſpiritũ nouum, & quare moriemini?* Et de propoſito, ſeruandi mandata, patet ex c. 18. cit. Ezech. & ex pluribus alijs locis vtriuſque teſtamenti. Ergo nihil eſt quod his addamus, niſi ſolutionem obiectionum.

Ad 1. Dico, actus diſpoſitiuos impij ad iuſtificationem, quia non ſunt charitate formati, quæ eſt vltima diſpoſitio, & neceſſariò connectitur cum perfecta iuſtificatione, non mereri de condigno gratiam iuſtificantem, vt docet Trid. ibidem c. 8. *Gratis autem iuſtificari ideo dicimur, quia nihil eorum, quæ iuſtificationem præcedunt, ipſam iuſtificationis gratiam promeretur.* Ergo non tollunt, quòd hæc gratis non conferatur, quia poſitis omnibus illis præuijs, poſſet non conferri. Vnde ceſſat paritas de forma naturali, quia hęc cùm ſit debita, ſecundum ordinem naturæ, materiæ benè diſpoſitæ, illam exigenti, negari non poteſt; quod non valet de gratia iuſtificante, non ſolùm quia non datur ad exigentiam ſubiecti, ſed etiam quia eius diſpoſitiones, non remouent ab eo peccatum, impeditiuum gratiæ, quæ proinde gratis confertur.

Ad 2. Nego minorem. Cùm enim impius non poſſit ſe diſponere ad iuſtificationem, niſi præueniatur à Deo ſuis auxilijs actualibus, quæ dicuntur præuniẽtia, & excitantia, ideo quamuis per ſuam

coope-

cooperationem, quam præſtat talibus auxilijs, præueniat infuſionem gratiæ habitualis iuſtificantis, non tamen facit, vt Deus faciat, Primò quia ipſe fuit præuentus à Deo per auxilia actualia, ſine quibus non potuiſſet bene agere. Et deinde quia eius cooperatio non meretur de condigno gratiam iuſtificantem, quã proinde poſſet Deus non dare, & dando, dat gratis, vt nuper dictum eſt. Ergo licèt vna gratia præcedat aliam, numquam tamen motus primus liberi arbitrij præcedit omnem gratiam, licèt præcedat habitualem.

Vnde patet reſponſio ad 3. Quamuis enim requiratur etiam noſtra præparatio ad gratiam iuſtificantem, quia tamen hæc eſt effectus alterius gratiæ, nempe actualis, quam Deus confert gratis, & ex pura ſua miſericordia, ideo ſaluat nos, non ex operibus noſtris, ſed ſecundum ſuam miſericordiam, ex qua trahit originem, & complementum noſtra ſalus. Et ideo falſa eſt minor argumenti aduerſariorum.

Ad 4. Nego conſequentiam. Ex eo enim, quòd de potentia abſoluta, poſſet Deus, vt dominus gratiæ, alicui conferre gratiam ſanctificantem, nulla præuia diſpoſitione, immò cum praua diſpoſitione, vt docet Aug. lib. de grat. & lib. arb. c 6. de D. Paulo, de quo ait, *quem certè inuenimus ſine vllis meritis bonis, immò cum multis meritis malis*, non ſequitur

tur, quòd de facto, & ſecundùm legem ordinariam, illam non prærequirat.

Ad 5. Nego minorem, propter traditas rationes in reſp. primi, quibus attulimus diſparitatem, inter diſpoſitiones materiæ ad formas naturales, & impij ad gratiam ſanctificantem.

ARTICVLVS II.

An ſola fides ſufficiat ad iuſtificationem?

VIdetur ſufficere, vt garriunt Caluiniſtæ, cum Lutheranis, qui nomine fidei intelligunt, vel certam fiduciam, qua impius confidit, ſibi non imputari peccata, ob Chriſti merita, vt docent ſecundi, vel actum, quò certò credat omnia peccata, ob Chriſti merita, ſibi eſſe remiſſa. Fundamenta ſunt, Primò quia dicitur Act. 13 *Omnis, qui credit, iuſtificatur:* & ad Galat. 4 *Ex fide iuſtificat gentes Deus,* & ad Rom 4. *Reputata eſt fides Abrahæ ad iuſtitiam,* & c. 13. *Arbitramur, iuſtificari hominem per fidem, ſine operibus legis.* Vnde inferunt, ſolam fidem ſufficere, & obſeruantiam legis, nihil prodeſſe ad iuſtificationem.

2. Ad Rom. 3. Dicit Apoſtol. *Iuſtificati gratis per gratiam ipſius, per fidem in ſãguine eius.* Non fieret autem gratis iuſtificatio, ſi prærequireret actus præparatorios ex par-

parte impij, vt dicitur ibid c. 11. *Si enim gratia, iam non ex operibus, alioquin gratia non eſſet gratia.* Demum recoquent omnia argumenta, quæ ſoluimus in 1. articulo.

Concl. *Sola fides theologica, etiam vt diſtincta à damnata fide hæreticorum, & vt extenditur ad omnia diuinitus reuelata, nō ſufficit ad impij iuſtificationem, ſine alijs actibus aſſignatis.* Eſt communis inter catholicos, & eſt de fide. Dixi, *vt diſtincta &c.* quia de illa non eſt quæſtio, cùm ſit omninò vana, & inutilis, vt expreſsè dãnatur à Trid. ſeſſ. 6. can. 12. 13. & 14. Præterea dixi, *vt extenditur ad omnia reuelata*, vt excludamus errorem aliorum dicentium, ſufficere fidem de miſericordia Dei, & promiſſione veniæ, cùm doceat Trid. ibid. c. 6. *Diſponuntur autem credentes, vera eſſe quæ diuinitus reuelata, & promiſſa ſunt*, nihil ex reuelatis excludendo ab obiecto materiali fidei.

Probatur ergo, quòd vera fides taliter caſtigata, ſine alijs actibus non ſufficiat, Primò ex Trid. ibidem can. 9. definiente, *Si quis dixerit, ſola fide impium iuſtificari, ita vt intelligat, nihil aliud requiri, quod ad iuſtificationis gratiam conſequendã cooperatur, & nulla ex parte neceſſe eſſe, eũ ſuæ voluntatis motu præparari, atque diſponi, anathema ſit.* Deinde ex ep. cath. D. Iacobi c. 2. dicente, *Ex operibus ſanctificatur homo, & non ex fide tantùm. Sicut enim corpus ſine ſpiritu mortuum eſt, ita fides ſine ope-*

operibus mortua eſt. Præterea Lucæ 13. ex oraculo Chriſti, *Si pœnitentiam non egeritis, omnes peribitis.* Et demum Eccleſiaſtici 1. *Qui ſine timore eſt, non poterit iuſtificari*, & ex alijs teſtimonijs allatis in 1. articuló è ſacris paginis.

Vnde patet reſponſio ad loca ſcripturarum, quæ cum dicunt, impium per fidem iuſtificari, debent exponi de fide viua, hoc eſt coniuncta cum operibus, vel de fundamento remoto iuſtificationis, vt exponit Trid. ſeſſ. 6. c. 8. his verbis, *Cum Apoſtolus dicit, iuſtificari hominem per fidem, ea verba intelligenda ſunt in eo ſenſu, quẽ perpetuus Eccleſiæ conſenſus tenuit, & expreſſit, vt ſcilicet per fidem ideo iuſtificari dicamur, quia fides eſt humanę ſalutis initium, fundamentum, & radix omnis iuſtificationis, ſine qua impoſſibile eſt, placere Deo &c.* Optimè igitur D. Hieronymus ſuper talia loca docet, *Abutuntur quidam his locis, ad deſtructionem operum iuſtitiæ, ſolam fidem ſufficere affirmantes, cùm tamen alibi dicat Apoſtolus, ſi habuero omnem fidem, ita vt montes transferam, charitatem autem non habuero, nil mihi prodeſt.*

Ad 2. Imprimis retorqueo argumentum, fides etiam per aduerſarios præequiſita, vt diſpoſitio ex parte iuſtificandi, non tollit, quò minùs iuſtificatio fiat gratis. Ergo neque hoc tollunt alij actus, vel ſi hi tollunt, etiam fides, adeòque in neutra ſententia fieret gratis. Nego deinde minorem, propter rationem traditã

in 1. ar , reſpodendo ad 1. , vbi etiam inuenies ſolutionem aliorum argumentorum , quæ videntnr prima fronte fauere aduerſarijs.

ARTICVLVS III.

An ad iuſtificationem requiratur formalis dilectio Dei? Vbi de alijs actibns requiſitis.

VIdetur requiri, vt propugnat hic Gonet diſp. 1. n 172. quamuis n. 174. videatur ſibi contradicere, dùm approbans opinionem Gregorij de Martinez, hæc dicit, *Licèt ad iuſtificationem requiratur formalis actus charitatis, non tamen eſt neceſſarium, vt talis actus ſit formalis dilectio, ſed ſufficit quòd ſit virtualis, incluſa ſcilicèt virtualiter, in actuali dolore, ſeu deteſtatione peccati, elicita à virtute charitatis*. Fundamenta ſunt.

1. Quia maius, & perfectius non poteſt contineri, in minori, & imperfectiori. Sed charitas eſt perfectior contritione. Ergo non poteſt in hac virtualiter contineri. 2. Quod eſt prius, non poteſt contineri in poſteriori virtualiter. Sed dilectio eſt prior contritione, ad quam comparatur, vt intentio ad electionem, quæ ſemper illam præſupponit. Ergo non poteſt virtualiter in illa contineri. 3 Actus dilectionis Dei, eſt proſecutio boni di-

diuini, & actus contritionis eſt fuga mali diuini. Ergo non poteſt illa in hac inuolui. 4 Actus contritionis, vt elicitus ab habitu charitatis, eſt eius actus ſecũdarius. Ergo non poteſt includere dilectionem, quæ eſt eius actus primarius. 5. Receſſus ab vno oppoſitorum, eſt formalis acceſſus ad aliud. Ergo cùm motus deteſtationis, & contritionis, ſit receſſus à malo Dei, debet etiam eſſe formalis acceſſus ad eius bonum, adeòque includere formaliter eius dilectionem.

Concluſio, *Quamuis actus dilectionis Dei interueniat plerumque in iuſtificatione impij, non tamen eſt neceſſarius, vt formaliter, & expreſsè talis, ſed ſufficit, etiam extra ſacramentum, vt virtualiter incluſus in contritione perfecta*. Ita Suarez, Vaſquez, Sotus, Gibbo &c.

Probatur prima pars, quia regulariter loquendo, ex amore, quo proſequimur amicum, odio habemus eius malum. Sed peccator non poteſt diſponi ad iuſtificationem, niſi deteſtetur, & odio habeat peccatum, vt malum Dei, ſicut probauimus ſupra. Ergo regulariter loquendo, dùm ſe diſponit ad iuſtificationem, amat formaliter Deum. Maior patet experiẽtia, qua videmus, nos odiſſe mala parentum, non autem hoſtium, quorum malis potius lætamur, non ob aliam cauſam, niſi quia illos amamus, hos verò nõ amamus. Et hęc eſt ratio cur Trid. hic c. 6 deducat odium, & deteſtationem pecca-

torum, ex dilectione Dei, his verbis, *In ſpem eriguntur, fidentes, Deum ſibi propter Chriſtum propitium fore, illumque tamquàm omnis iuſtitiæ fontem, diligere incipiunt, ac propterea mouentur aduersùs peccata per odium, & deteſtationem.* Ergo ſupponit, plerumque interuenire aliquã formalem dilectionem Dei, præcipuè in iuſtificatione, quæ ſit extra Sacramentũ, ad quam non ſufficit attritio, ſed requiritur actus perfectę contritionis, qui regulariter coniungitur cum actu charitatis, quatenus infallibiliter coniungitur, vt vltima, & concomitans diſpoſitio cum gratia ſanctificante, quam infra probabimus nõ diſtingui realiter ab habitu charitatis, qui eſt principium proximum diligendi Deum ſuper omnia. Verum quidem eſt, quòd non ſemper prærequiratur contritio charitate formata, quæ ſequitur concomitanter ex ipſa gratia iuſtificante, eò quia ſufficiat cõtritio, quatenus dicit perfectam deteſtationem peccati, cum propoſito emendæ, & obſeruanciæ mandatorum, in quo ſenſu dicitur perfecta. Quia tamen etiam hæc prouenit plerumque ex aliquali amore Dei, ſaltem inchoato, & imperfecto, vt mox videbimus, ideo eſt vera concluſio, licèt abſolutè ſufficiat amor virtualis.

Probatur ſecunda pars, Primò ex Trident. ſeſſ. 6. c 6. vbi enumerans omnes actus diſpoſitiuos, de dilectione hæc docet, *Deumque tamquam omnis iuſtitiæ fontem*

tem

Digitized by Google

tem diligere incipiunt. Sed incæptio dilectionis, non dicit formalem actum, ſed ſolum inchoatum, & imperfectum dilectionis, quatenus videlicèt dicit ſolam eius radicem, nempe contritionem, in qua virtualiter continetur. Ergo per Tridentinum non exigitur, vt ſimpliciter neceſſarius, niſi actus virtualis dilectionis Dei. Deinde quia odibilitas peccati, etiam vt eſt offenſa Dei, eſt diuerſum obiectum à ſumma bonitate, & amabilitate Dei. Ergo quamuis regulariter loquendo, deteſtatio illius perfecta, coniungatur cum formali huius amore, vt diximus in tr. de pæn. diſp. 7. ar. 1. & hic nuper confirmauimus, tamen poſſet accidere, quòd illa ſeparetur ab hoc, vt formaliter, & explicitè tali. Siquidem poſſet accidere, quòd aliquis vſque adeo cõmoueatur, in deteſtatione diuinæ offenſæ, vt formaliter talis, vt morbo correptus, non poſſit cogitationem conuertere in diuinam bonitatem, vnde moueatur ad formalem actum diligendi Deum. Quis autem dicat, illum in tali caſu, non eſſe perfectè diſpoſitum, ad gratiam iuſtificationis impetrandam, ſi adſint cætera neceſſaria? Ergo ſufficeret illi dilectio virtualis Dei. 3. Quia ſicut poteſt dari perfectus amor Dei, ſine formali deteſtatione peccati, vel ex obliuione, vel ex morbo, vel quia illicò occiditur in odiũ fidei; ita poteſt dari perfecta contritio, ſeu deteſtatio diuinæ offenſe, ſine forma-

 li

Digitized by Google

li dilectione Dei, propter ſimiles cauſas.

Ad 1. Nego minorem. Quando enim diximus, actum amoris Dei contineri virtualiter in contritione, locuti ſumus de illa, non quatenus deteſtatur peccatum, vt eſt contra legem Dei, & eſt cõpenſabile per congruentem ſatisfactionẽ, ſed quatenus odit illud, vt eſt offenſa, & malum Dei. Nam primo modo eſt elicitus à pęnitentia, & ſecundo modo ab habitu charitatis, vt dictum eſt. Vnde ſequitur, quòd cùm vterque actus ſit ab eodem habitu charitatis, licèt vnus contineatur in alio, neuter tamen continetur in actu virtutis imperfectioris. Neque obſtat, quòd ſaltem actus perfectior, contineatur in minùs perfecto eiuſdem habitus; ſiquidem imperfectio continentis, compenſatur per formalitatem expreſſam actus, quæ non inuenitur in contento, vt videre eſt in actibus aliarum virtutum, ad inuicem comparatis, & vitiorum oppoſitorum.

Ad 2. Nego minorem. Diſparitas eſt, quia medium vt tale, non habet bonitatem motiuam ad ſui electionem, niſi ex intenta bonitate finis, quæ proinde eſt ſemper prior. Obiectum autem odij, ſeu deteſtationis, habet ex ſe odibilitatem, & non ex amabilitate boni oppoſiti. Ergo licèt voluntas moueatur à bono, ad fugam mali, non tamen eſt neceſſe, quòd moueatur à bono, vt formaliter, & expreſsè amato, ſed ſufficit eius amor

vir-

Digitized by Google

virtualis, adeòque deteſtatio mali, non ſemper eſt poſterior, reſpectu formalis amoris boni.

Ad 3 Nego conſequentiam, cùm perinde ſe habeat fuga mali ad bonum, ſicut amor boni ad malum. Cùm ergo amor efficax boni, ſit virtualiter odium mali oppoſiti, ita odium mali, eſt virtualiter amor bonì oppoſiti.

Ad 4 Nego conſequentiam. Quamuis *enim* regulariter loquendo actus ſecundarius ſupponat primarium, non tamen hoc eſt ſemper indiſpenſabiliter, & neceſſariò verum, cùm poſſit dari deſideriũ beatitatis, non præſuppoſito appetitu formali illius, quatenùs eſt bonum arduũ, & difficilè aſſequibile, quamuis hic ſit actus primarius ſpei, & ille ſecundarius.

Ad 5. Nego conſequentiam, quia facit tranſitum à motu phyſico ad moralem. Diſparitas eſt, quia acceſſus ad vnum ex terminis oppoſitis, in motu locali phyſico, eſt vnus, & idem motus, cum receſſu ab alio, & ideo non poſſunt realiter ſeparari. At motus moralis voluntatis, qui dicitur metaphoricus, quia fit per actus realiter diſtinctos, etiam ſecundum ſpeciem, vt ſunt amor boni, & odium mali, ideo acceſſus ad vnum, non eſt formaliter receſſus ab alio oppoſitorum, ac proinde poſſunt realiter ſeparari, ſi conſiderentur ſub propria, & expreſſa formalitate talium actuum. Ergo ſupereſt quod poſſint eſſe vnum tantùm virtualiter, vt dictum eſt.

Quæres quid ſit dicendum de alijs actibus, qui interueniunt in iuſtificatione impij. Reſpondeo, quòd exceptis actibus fidei, ſpei, & charitatis, qui neceſſariò debent eſſe formales, & expreſsi, tamen alij, vt timor, deteſtatio, propoſitum, &c poſſunt ſufficere, vt virtualiter incluſi, in perfectiſſimo actu charitatis, qui ſe ſolo vltimatè diſponat ad iuſtificationem perfectam, vel in actu perfectæ contritionis.

Probatur primum, & primò de fide, nam dicitur ad Heb. 11. *Sine fide impoſſile eſt placere Deo; accedentem enim ad Deum oportet credere &c.* Et Trid. ſeſſ. 6. c. 6. *Diſponuntur autem credentes, vera eſſe quæ dicuntur reuelata, & promiſſa ſunt, atque illud inprimis à Deo iuſtificari impium per gratiam eius &c.* & c. 8. *Per fidem ideo dicimur iuſtificari, quia fides eſt humanæ ſalutis initium, fundamentum, & radix omnis iuſtificationis* Sed hæc non poſſunt intelligi de fide virtuali, vt patet. Ergo requiritur formalis, & expreſſa. Deinde de actu ſpei, de quo dicitur ad Rom. 8. *Spe ſalui facti ſumus*, & 1. Io. 3. *Omnis, qui habet hanc ſpem in eo, ſanctificat ſe.* Quomodo autem poſſet ſe ſanctificare, per opera ſatisfactoria, niſi formaliter ſperaret veniam peccatorum, quæ impediunt ſalutẽ? Et hæc eſt ratio, cur ablatis omnibus habitibus ſupernaturalibus, ſoli remaneant fidèi, & ſpei, vt per eorum actus poſſint ſe diſponere peccatores ad reſurgẽdum;

&

& ideo præcedunt omnes actus ſalutares. Verum de his in proprijs locis. Tertiò de contritione, vel charitate; quæ cùm ſint vltima diſpoſitio, ad gratiam iuſtificationis recipiendam, non poſſunt virtualiter includi in alijs actibus præparatorijs; aliter non eſſent vltima diſpoſitio, quæ ſemper connectitur cum infuſione gratię iuſtificantis, ſicut accidit in introductione formarum naturalium. Ergo hi actus debent interuenire formaliter. Neque obſtat, quòd actus charitatis videatur ſonare formalem dilectionem Dei, quam diximus non eſſe ſimpliciter neceſſariam. Nam cum etiam actus contritionis, vt deteſtans peccatum, ſub ratione diuinæ offenſæ, procedat ab habitu charitatis, vt diximus in reſp. primi, poteſt dici actus charitatis, licèt non ſit formalis dilectio Dei, quam ſolam includit virtualiter, quamuis poſſit etiam cumulatiuè interuenire, vt formaliter dicens expreſſum actum dilectionis Dei.

Quoad alios actus dico, illos ſufficere, vt virtualiter incluſos in vltima diſpoſitione, licèt regulariter ſoleant etiam ipſi interuenire, vt formaliter, & expreſsè tales, vt patet in eorum ordine, quem hic proſequitur Trid. c. 6. Ex quibus duplex oritur difficultas, quarum prima eſt, an actus contritionis, & charitatis, procedant ab ipſa gratia iuſtificante? & altera, an habitus charitatis diſtinguatur à gratia habituali, quas ſoluemus articulis ſubſequentibus.

ARTICVLVS IV.

An actus contritionis, & charitatis deriuent ab ipſa gratia iuſtificante?

VIdentur deriuare, vt propugnat Gonet hic diſp. 1. art. 8. ſecutus Caietanum, Canum, Conradum, Medinam, Valentiam, Vaſquez, & alios. Primò quia actus vitales non poſſunt procedere à principio non vitali. Sed actus contritionis, & charitatis ſunt vitales, non ſolùm vitalitate naturali, vt ſunt actus phyſicè procedentes, à principio intrinſeco, operante immanenter, ſed etiam vitalitate ſupernaturali, quatenus procedunt à principio intrinſeco ſupernaturali. Ergo cùm ſola gratia habitualis, ſit principium radicale vitale, in ordine ſupernaturali, debent ab illa deriuare, vt eius effectus.

2. Si tales actus non deriuarent à tali gratia, deriuarent ab auxilijs actualibus. Hæc autem vel eſſent extrinſeca operãti; & non poſſeut conſtituere potentiã, proximè potentem in actu primo: vel intrinſeca, & quia eſſent eiuſdem rationis cum tali gratia, daretur ſimul in voluntate, duplex forma totalis eiuſdem ſpeciei, in ordine ad eundem actum, quod eſt abſurdum. Ergo deriuant à tali gratia.

3. Il-

3. Hi actus non poſſunt eſſe de condigno meritorij gratiæ habitualis, quæ ex hoc ipſo non eſſet gratia. Atqui illam taliter mererentur, ſi ab illa non deriuarent; ſicut enim merentur gloriam, ita mererentur gratiam. Ergo ab illa deriuant, vt eius effectus.

4. Actus charitatis, vtpote vitalis eſſentialiter pendet à ſuo principio. Ergo ſi penderet à ſolo principio gratiæ actualis, illo ceſſante per aduenientem habitũ propriũ,nõ poſſet idem numero conſervari, quod repugnat Apoſtolo docenti, *Charitas numquam excidit*, de ſua natura. Ergo in eo inſtãti,in quo infũditur habitus,debet ab illo pendere,adeoq; pepẽdit etiam in inſtanti immediatè antecedenti.

5 Nullus actus eſt meritorius de condigno glorię,per ſolam concomitantiam, gratiæ habitualis in eodem ſubiecto. Ergo debet ab illa dependere. Sed actus perfectæ charitatis, etiam vt vltima diſpoſitio ad gratiam,erat de cõdigno meritorius gloriæ. Ergo ab illo pendebat.

6. Calor vt 8. conſeruat, vt vltima diſpoſitio formã ignis, à qua viciſſim producitur, & conſeruatur. Ergo etiã actus contritionis poteſt eſſe vltima diſpoſitio, à qua fiat, & conſeruetur, cùm regulariter vltima diſpoſitio, non fiat à generante, ſed à forma geniti.

Concluſio, *Actus charitatis, & contritionis, vt vltimò diſponunt ad gratiam iuſtificantem, non ſunt eius effectus, ſed ſo-*

lùm pendent ab auxilijs actualibus, ſiue intrinſecis, ſiue extrinſecis. Ita D. Tho. 1. p. q. 62. art. 2. ad 3. & 1. 2. qu. 109. ar. 6. ad 3. quem ſequuntur Capreol. in 4. d. 14. qu. 2. ar. 3. ad 1. Arauius, noſter Ægidius, Argentinas, Suarez, Molina, Bellarminus, Coninch. &c.

Probatur 1. Nullus actus poteſt eſſe cauſa diſpoſitiua, ſui principij productiui; aliter præſupponeretur exiſtens, ante exiſtentiam ſuæ cauſæ, quod repugnat. Sed hi actus ſunt vltima diſpoſitio ad gratiam habitualem ſanctificantem, vt omnes fatentur, cum Trid. Ergo non poteſt hæc eſſe eorum principium productiuum. Minor, & conſequentia patent apud theologos. Maior probatur, nihil poteſt vllatenus realiter cauſare, niſi vt actu exiſtens. Ergo quia diſpoſitio eſt in genere cauſarum realium, non poteſt diſpoſitiuè cauſare gratiam, niſi exiſtat. Quomodo autem poteſt exiſtere, antequã exiſtat ſuum principium? Ergo quia diſponit ad gratiam habitualem, quam proinde præcedit, ſaltem natura, non poteſt ab illa vllatenus cauſari.

Dices, non repugnat mutua cauſalitas, etiam inter cauſas efficientes, vt nos admiſimus in 2. phyſ. Ergo actus charitatis, & gratia iuſtificans poſſunt ſe inuicem cauſare, nempe illa in genere cauſæ materialis, & hæc in genere efficientis.

Nego conſequentiam. Primò quia talem doctrinam non extendimus, ad omnia

nia genera cauſarum, vt poteſt videri loco citato. Et deinde quia inter contritionem, & gratiam militat peculiaris repugnantia, ratione cuius non poſſunt ſe inuicem cauſare, quod ſic breuiter oſtẽdo. Diſpoſitio non eſt cauſa phyſica, ſed moralis gratiæ, quatenus videlicèt monet Deum, ad infundendam gratiam ſubiecto benè diſpoſito. Eſt autem impoſſibile, quòd effectus moueat Deum, ad ponendam ſui cauſam, quæ per hoc ipſum quòd illum cauſet, præſupponitur exiſtens, adeòque præſupponit diuinam voluntatem, iam determinatam ad illam volendam, eiuſque omnipotentiam determinatam, ad illam exercitè cauſandam. Ergo diſpoſitio, vt formaliter talis, nullo modo poteſt eſſe effectus illius formæ, ad quam diſponit. Aliter Deus daret potentiam ad actum, ex ſuppoſitione actus, quod eſſet perinde ac dare pedes ad ambulandum, quia actu ambulat, & dare aui alas ad volandum, quia videt illam actu, & exercitè volare, quod riſum excitaret.

Neque poteſt hoc retorqueri contra mutuam cauſalitatem, inter finem, & media, vel inter duos ignes ſe mutuò cauſantes, in genere cauſæ efficientis. Nam finis non cauſat, niſi vt præcognitus, & cauſatur vt talis realiter in ſe. Non eſt autem abſurdum, quod præcognitio bonitatis effectus, moueat agens ad illum volendum per tale mediũ, quia

talis

talis cognitio, non reſultat ex fine, vt in ſe actu exiſtente, ſed vt exiſtente ſolùm obiectiuè in mente artificis, ſeu agẽtis. Diſpoſitio verò, quia mouet per modum meriti de congruo, vel per modum impetrationis, non moueret, niſi cognoſceretur vt exiſtens in ſe. Ergo non currit paritas. Quoad ignes ſe mutuò cauſantes, dico, neutrum eſſe diſpoſitionem ad alium, ſed vtrumque eſſe effectum ſimultaneum, reſpectu Dei, ita illos ad inuicem alligantis, vt vterque pendeat eſſentialiter ab alio, vt ſui cauſa. Ergo vterque eſt alteri neceſſarius, vt ſui cauſa, actu in ſe exiſtens, cum dependentia eſſentiali ab alio. Hoc non valet de gratia, quę non pendet eſſentialiter ab actu contritionis, cum poſſit infundi ſine illo, vt diximus in 1. ar. & patet in infantibus baptizatis. Ergo non eſt verus eius effectus phyſicus, ſed ſolùm moralis, modo explicato, inter quem, & cauſam nõ poteſt admitti mutua cauſalitas, eò quia cauſa moralis (vt dictum eſt) debeat prò priori naturæ, intelligi, & eſſe exiſtens, independenter à ſuo effectu, à quo proinde non poteſt recauſari.

2. Si diſpoſitio ad gratiam, efficeretur à gratia, eſſet falſa hæc cauſalis, *Deus dat gratiam Petro, quia eſt contritus*, cùm potius verificaretur hęc alia, *Deus dat gratiam Petro, vt conteratur*, eò quia cauſa efficiens ſit nobilior diſpoſitiua, adeòque ly, *quia* deberet potiùs exprime-

re

re prioritatem illius, quàm huius. Sed hoc non admittitur à Trid. quod hic c. 7. initio expreſsè docet, *hanc diſpoſitionem* (nempe contritionem, cum reliquis enumeratis ar. 1.) *ſeu præparationem, iuſtificatio ipſa conſequitur, quæ non eſt ſola peccatorum remiſſio, ſed & ſanctificatio, & renouatio interioris hominis, per voluntariam ſuſceptionem gratiæ, & donorum*. Et c. 8. *Nihil eorum, quæ iuſtificationem præcedunt, ſiue fides, ſiue opera, ipſam iuſtificationis gratiam promeretur.* Ex quibus patet, gratiam iuſtificantem ſubſequi ad diſpoſitiones. Sed antecedens non poteſt fieri ex conſequenti. Ergo non poteſt verè dici, *datur gratia, vt fiat contritio*, ſed *datur gratia, quia præcedit contritio*, quæ proinde non fit ab illa.

Ad 1. Nego minorem, quoad ſecũdam partem. Et dico, actus contritionis, & charitatis, non habere aliam vitalitatem, niſi illam, quam accipiunt à voluntate immanenter operante, vt diximus in tr. de viſ. de ipſo actu viſionis beatificæ. Ergo quatenus vitales, non debent procedere à gratia iuſtificante. Cùm enim ſimul procedant à voluntate, & gratia, ſicut ab hac accipiunt ſupernaturalitatem, ita ab illa vitalitatem, non quidem vt duas formalitates obiectiuas realiter diſtinctas, ſed vt vnàm indiuiſibilem entitatem, virtualiter duplicem, per ſolam diſtinctionem rationis.

Ad 2. Nego minorem, quoad vtramque par-

partem. Primò quia licèt auxilia actualia eſſent extrinſeca volũtati, adhuc poſſent illam conſtituere, proximè potentem operari hos actus ſupernaturales, potentia partim intrinſeca, & partim extrinſeca, ſicut accidit equo trahenti currũ, qui cùm ſolus nõ poſſit, fit potens per ſolum auxilium extrinſecũ alterius equi. Deinde etiam admiſſo quòd ſint intrinſeca, non ſequeretur, quòd eſſent ſimul duæ formæ totales eiuſdem rationis, & ſpeciei, ad eumdem actum, quia illa eſſent tranſeuntia, per modum actus, & hæc per modum babitus permanentis. Ergo adueniente gratia habituali, illa ceſſaret, vt non amplius neceſſaria, & licèt remanerent, non eſſent eiuſdem ſpeciei, cùm hæc ſit in ſubſtantia animæ, & illa in eius potentijs.

Ad 3. Nego minorem. Nec valet paritas de gloria, quia cùm hæc cadat ſub meritum, cuiuſcumque actus gratia formati, quia in tali caſu informarentur gratia, modo infra aſſerendo in reſp. 5. ideo illam mererentur.

Ad 4. Nego vtramque conſequentiã. Et dico, actum contritionis elicitum per auxilia actualia, non poſſe eumdem numero conſeruari, & continuari per gratiam habitualem. Per hoc enim ipſum, quòd actus, vt vitalis, pendeat eſſentialiter à ſuo principio, hoc variato, debet variari. Ad auctoritatem dico, illam procedere de charitate habituali, non autem

tem

rem de actuali. Ergo non eſt neceſſe, quod actus vt vltimò diſponens ad habitum, pendeat ab illo.

Ad 5. Nego antecedens. Cùm enim gratia habitualis dignificet animam, quã facit Deo gratam, & amicam, ideo eius actus contritionis, & dilectionis Dei, vtpote prouenientes ab amico, & filio adoptiuo Dei, eleuantur ad merendam de condigno eius hæreditatem, quamuis tales actus non procedant ab ipſa gratia ſanctificante, eo modo quo purpura Cardinalis, licèt non procedat ab ipſo, tamen ab ipſo dignificatur. Ergo licèt phyſicè loquendo, hæc ſit pura concomitantia in primo inſtanti, tamen moraliter eſt veluti connexio effectus cum cauſa, quatenus ille ab hac dignificatur, recipiendo non quidem eſſe phyſicum, ſed illi ſuperaddendo eſſe morale. Nec valet paritas actuum virtutum moraliũ, quia cùm hi non ſint intrinſecè ſupernaturales, nec referantur in Deum immediatè, non poſſunt à gratia concomitanti dignificari, niſi ab illa imperentur, & ordinentur ad Deum.

Ad 6. Nego antecedens. Cùm enim ad formam ignis, non præ requiratur diſpoſitio in ligno; ex. g caloris vt 8. ſed ſufficiat calor vt. 7. qui ſolus, eſt componibilis cum forma ligni, quam vltimo diſponit ad corruptionem, octauus caloris gradus non eſt propriè diſpoſitio ad formam ignis, ſed potiùs eius proprietas, vel

eſſe-

effectus, quamuis communiter dicatur diſpoſitio concomitans, & in hoc ſenſu non fit à generante, ſed à forma geniti, cùm tamen calor verè diſpoſitiuus, non fiat à forma geniti, ſed ab ipſo generante. Idem dic de actu contritionis. Nam ſi conſideretur vt diſpoſitio ad gratiam ſanctificantem, non fit ab ipſa, ſed ab homine adiuto auxilijs actualibus. Si verò conſideretur vt procedens à gratia, non eſt idem actus, ſed alius, conſequens vt effectus, & ideo non poteſt eſſe eius diſpoſitio, de cuius ratione eſt, vt præcedat formam, ad quam diſponit, vt dictum eſt. Et hinc fortaſſe arripuerũt aliqui occaſionem, admittendi diſpoſitionem cõcomitantem, cum mutua cauſalitate, nẽpe inter contritionem per modum cauſæ materialis, & gratiam per modum cauſæ efficientis, quia non diſtinxerunt actũ contritionis, præparatorium ad gratiam, ab actu contritionis conſequente, elicito à gratia.

ARTICVLVS V.

An habitus charitatìs realiter diſtinguatur à gratia habituali ſanctificante?

VIdetur diſtingui, vt cum S. Tho. 1. 2. qu. 110. art. 3. propugnant Aegidius, Ban-

Bannes, Capreolus, Caietanus, Valentia, Suarez, Gonet, & plerique Thomiſtarum, Primò quia dicitur in Trid. ſeſſ. 6. can. 11. *Siquis dixerit, iuſtificari homines ſola remiſſione peccatorum, aut ſola imputatione iuſtitiæ Chriſti, excluſa gratia, & charitate, anathema ſit.* Ergo diſtinguit vnam ab alia. Quæ diſtinctio etiam ponitur in multis alijs locis ſacrorum codicum, vt 2. ad Cor c. 13. *Gratia D. N. Ieſu Chriſti, & charitas Dei*, & 1 Thimoth. 1. & alibi, & etiam ab Aug. lib. de ſpiritu, & lit. c 32. *Charitas Dei dicta eſt diffundi in cordibus noſtris, non qua nos ipſe diligit, ſed qua nos facit dilectores ſuos, ſicut iuſtitia Dei, qua iuſti eius munere efficimur, & fides Chriſti, qua nos fideles facit.* Ergo diſtinguit charitatem à iuſtitia, ſicut hæc diſtinguitur à fide, nempe realiter.

2. Forma, quæ dat eſſe, non poteſt eſſe proximum, & immediatum principiū operandi; & ideo videmus in naturalibus, quòd cuilibet ſubſtantiæ datæ ſunt natura, potentia, & operatio, quæ realiter diſtinguuntur. Cùm ergo gratia ſanctificans det eſſe ſupernaturale, debet ſupponere in ſubiecto virtutès, quæ ſunt potentiæ ſupernaturales, & merita, quæ ſunt operationes virtuoſæ, vt realiter diſtinctas ab ipſa gratia, quæ eſt natura ſupernaturalis, vt poſſit aſſequi finem ſupernaturalem.

3. Deus non perficeret connaturaliter na-

naturam, in eſſe ſupernaturali, niſi illam perficeret, & compleret, ſicut facit in eſſe naturali. Sed in eſſe naturali, priùs illam complet, per formam ſubſtantialem, quàm per potentias accidentales. Ergo etiam in eſſe ſupernaturali, priùs debet dare gratiam, vt formam, per quam conſtituatur in tali eſſe, quàm charitatē, & alias virtutes, quæ ſunt principia agēdi, in ordine ſupernaturali. Sicut enim formæ accidentales præſupponunt naturā completam, in ordine naturali, , ita in ordine ſupernaturali, virtutes, quæ illi accidunt vt potentiæ, debent illam ſupponere completam, in tali ordine per gratiam ſanctificantem.

4. Ex diuerſitate effectuum, arguimus diuerſitatem principiorum, aliter omnes virtutes theologicæ eſſent vnus realiter habitus. Ergo cùm diligi à Deo, ſit effectus diuerſus, à diligere Deum, dicendum eſt, illum prouenire à gratia, & hunc à charitate, tamquam à diſtinctis principijs. Probatur conſequentia; nam charitas de ſe nihil habet, niſi conſtituere hominem, proximè potentem amare Deum. Ergo illum ſanctificare, ſpectat ad alium habitum.

5. Vna, & eadem forma non poteſt eſſe in duplici ſubiecto. Sed gratia, & charitas ſunt in diuerſo ſubiecto, nempe illa in ſubſtātia animæ, quam reddit formaliter ſanctam, & hæc in voluntate, quam reddit ſupernaturaliter operati-

uam

uam. Ergo non poſſunt eſſe vna forma.

Concl. *Quamis poſſit vt probabile ſuſtineri, quòd habitus charitatis realiter diſtinguatur à gratia habituali; probabilius tamen eſt, illum realiter non diſtingui, ſed ſola ratione ratiocinata.*

Probatur prima pars. Primò ex argumentis allatis, quæ licèt ſint ſolubilia (vt videbimus) quia tamen non ſunt euidenter ſolubilia, ideo magnam faciunt probabilitatem tali ſententiæ, non ſolùm extrinſecam, propter tot eximias auctoritates, ſed etiam intrinſecam, propter pondus rationum. Deinde quia omnia, quæ adducentur prò ſententia oppoſita, poſſunt eludi, dicendo, illa concludere quidem neceſſariam, & infallibilem connexionem, non tamen identitatem realem, vt accidit in multis alijs, quæ videntur eſſe idem, quia nnmquam ſeparantur.

Probatur ſecunda pars, quam tuentur Scotus, Durandus, Henricus, Baccon, Okamus, Bellarminus, Leſſius, Molina, Coninch, Eſparſa, & alij, Primò quia diuerſæ formæ non poſſunt præſtare eoſdem effectus formales. Sed habitus charitatis, & gratia habitualis, præſtant eoſdem effectus formales. Ergo non ſunt duæ formę, ſed vna. Maior & conſequentia ſunt euidentes. Minor probatur, Primo ex multiplici teſtmonio ſacrorũ codicum. Nam 1. Io. 4. dicitur, *Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.*

Er-

Ergo charitas vnit cum Deo, amore mutuo, quo illam habens amat Deum, à quo redamatur. Et ibid. c. 3. *Videte qualẽ Charitatem dedit nobis Deus, vt filij Dei nominemur, & ſimus*. Ergo tribuit filiationem adoptiuam Dei. Et Lucæ 7. R*emittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Ergo remittit peccata. Et ad Ephe. 1. *Elegit nos in ipſo, vt eſſemus ſancti, & electi in conſpectu eius, in charitate.* Et ad Coloſſ. 3. *Charitatem habete, quod eſt vinculum perfectionis*. Ergo tribuit ſanctitatem, & omnes alias virtutes ſupernaturales. Deinde ex Aug. qui in 1. Io. tr. 5. ait, *Charitas eſt, quę ſeparat, inter filios Dei, & filios perditionis*. Ergo dat ius ad hæreditatem Dei. Et lib. de nat. & grat. c. 70. *Charitas incboata, incboata iuſtitia eſt: charitas prouecta, prouecta iuſtitia eſt: charitas magna, magna iuſtitia eſt: charitas perfecta, perfecta iuſtitia eſt*. Ergo eſt formalis iuſtitia, & ſanctitas. Sed hæc omnia communiter tribuuntur gratiæ habituali. Ergo habent effectus formales communes, adeòque ſunt vnum, & idem, vt infert Aug. lib. de nat. & grat. c. 42. *Ipſa charitas eſt veriſſima, & pleniſſima, perfectiſſimaque iuſtitia.* Cui concinit Greg. hom. 38. in Euang. inquiens, *Quid ergo intelligere debemus per veſtem nuptialem, niſi charitatem? Sed cum nuptiali veſte non venit, ſi charitatis gratiam non cuſtodit*, iuxta dictum Apoſtoli 1. ad Cor. 13. *Si charitatem non habeam, nil mihi prodeſt*, quod non eſſet verum, ſi diſtingueretur à gratia. 2. Gra-

Digitized by Google

2. Gratia habitualis eſt principium, formale vitæ ſpiritualis. Sed principium vitæ debet eſſe operatiuum, vt per actuales operationes, fiat exercitium vitæ, ad quod illud intrinſecè, & eſſentialiter ordinatur. Cùm ergo gratia habitualis, vt formaliter talis, non ſit operatiua, acquirit eſſe talem, per identitatem cum habitu charitatis, qui de ſe eſt formaliter operatiuus. Neque poteſt dici, quòd ſit ſolùm principium radicale, & remotum, quod operatur per potentias realiter diſtinctas, quæ ſint principia proxima. Quamuis enim eſſet ſolùm principium, radicale, adhùc tamē deberet eſſe intrinſecè ordinatum ad operandum, ſiue per ſe, ſiue per aliud, vt probauimus in 1. de an. Cùm ergo gratia ſanctificans, vt formaliter talis, non ordinetur ad actus ſupernaturales, ſed ſolùm ad ſanctificandam formaliter animam, niſi eſſet identificata cum charitate, non poſſet vere dici principium radicale vitæ ſpiritualis.

3. Habitus charitatis habet per ſe ipſum formaliter, expellere peccatum, ſanctificare, & inclinare ad amorem ſupernaturalem Dei. Ergo ſolus ſufficit, & abſq; vlla neceſſitate, adiungitur illi alius habitus diſtinctus. Conſequentia patet. Antecedens probatur, non ſolùm ex dictis in 1. arg. ſed etiam quia ſi aliquis moriatur cum ſola charitate, non præbente Deo concurſum ad infuſionem gratiæ, ſicut poſſet facere, poſita diſtinctione reali,

li, quid eſſet de illo? Non poteſt dici, quòd ſaluaretur, quia ſine gratia, nemo poteſt aſſequi vitam æternam, quæ eſt gratia conſumata; neque quòd damnaretur, quia charitas operit multitudinem peccatorum, ſine quibus nemo damnari poteſt; præterea *ſeparat inter filios Dei, & filios perditionis*, vt dicitur 1. Io. 4. Ergo ſaluaretur, & non ſaluaretur, quod dicit manifeſtam contradictionem, quæ etiam ſequeretur, ſi moreretur in gratia, ſine charitate, nam gratis debetur regnum, & ſine charitate nihil prodeſt, vt dicitur 1. ad Cor. 13. Quòd autem caſus eſſet poſſibilis, patet, quia omne priùs poteſt eſſe per abſolutam Dei potentiam, ſine poſteriori, realiter diſtincto. Ergo &c.

Ex dictis ſequitur, vtramque partem poſſe vt probabilem problematicè propugnari, vt docent Vaſquez par 2. diſp. 198. c. 3. Siluius, Morandus,, & plures alij. Cùm enim neutra pars ſit ab Eccleſia definita, & prò vtraque ſtent inſignes theologi, cum auctoritatibus, & rationibus magni ponderis, quæ non poſſunt, niſi probabiliter ſolui, relinquunt vtramq; partem cum ſua probabilitate. Quia tamen diximus, noſtram ſententiam eſſe probabiliorem, debemus ſoluere argumenta ſententiæ oppoſitæ, quod præſtabimus ar. ſequenti.

AR-

ARTICVLVS VI.

Soluuntur fundamenta contraria.

AD 1. ductum ab auctoritate Trid. dico, ex eius modo loquendi deduci oppoſitum. Si enim intendiſſet loqui de gratia, & charitate, tamquam de duobus diſtinctis, non dixiſſet, *excluſa gratia, & charitate* in numero ſingulari, ſed *excluſis* in numero multitudinis. Ergo potiùs ſuppoſuit, illas eſſe realiter vnam formã, ſub duplici formalitate rationis. Quòd ſi alibi expreſſiùs videatur vſurpaſſe hæc nomina, tamquam ſignificantia duas res, nomine gratiæ intellexit præuenientem, & excitantem, non autem habitualem, vt patet in 2. auctoritate. Ad locum Auguſtini dico, ex ipſo textu patere ſolutionem, cùm Auguſtinus loquatur apertè, non de habitu, ſed de ipſo actu, qui facit nos dilectores, hoc eſt actu diligẽtes Deum. Actum autem charitatis, diſtingui à iuſtitia, ſeu à gratia ſanctificante, nemo dubitat, cùm diſtinguatur ab ipſo habitu charitatis. Neque obſtat, quod loquatur de charitate Dei, diffuſa in cordibus noſtris, vt dicitur ad Rom. 5. Siquidem verè diffunditur per effectus, quãdo in nobis excitat amorem ſui, tribuendo nobis auxilia actualia, ad illum eliciendum, quæ verè ſunt ſpeciales motio-

nes Spiritus ſancti, vt colligitur ex can. 3. ſeſſ 6. Trid. vbi dicitur ſine præuenien-te inſpiratione Spiritus ſancti, eiuſque adiutorio, nullum poſſe operari ſicut oportet, vt iuſtificetur.

Ad 2. Nego antecedens, ex falſo ſuppoſito, quòd potentiæ animæ realiter diſtinguantur ab anima, cùm in 3. de an. & alibi ſæpe probauerimus oppoſitũ. Ergo poteſt eadem forma conſtituere naturam ſubſtantialem, & eſſe principium proximum operandi, vt patet in anima rationali.

Vnde patet ſolutio tertij, in quo minor laborat eadem ſuppoſitione falſa; adeòque poſſet argumentum retorqueri.

Ad 4. Nego antecedens, cùm eadem voluntas ſit principium amoris, & odij, & idem intellectus, aſſenſus, & diſſenſus. Ad eius probationem, nego ſequelam. Quamuis enim ex hoc non probetur virtutum diſtinctio, tamen probatur ex diuerſitate obiecti, & motiui, & ex reali earum ſeparabilitate, quæ ceſſant in caſu noſtro. Ergo ex identitate charitatis cũ gratia, non valet illatio ad identitatem cum alijs. Ad probationem conſequentiæ, nego antecedens, Primò, quia charitas diſtinguit filios Dei, à filijs perditionis, expellit peccata, & ſanctificat animam. Ergo non habet ſolùm reddere ſubiectum potens amare Deum, vt ſupra vidimus, ſed habet præſtare omnes effectus formales gratiæ habitualis. Deinde

quia

quia licèt approprietur charitati, quòd diſponat proximè ad amorem ſupernaturalem Dei, tamquam eius effectum primarium, hoc non tollit, quò minùs poſſit etiam ſanctificare, vt effectum ſecundarium. Sicut ergo diuinæ iuſtitiæ, vt formaliter tali, non tribuimus parcere, & miſereri, quamuis illi conueniat ſecundum realitatem; ita accidit charitati. Vnde ſicut non diſtinguimus realiter, ſed ſola ratione iuſtitiam à miſericordia, ita debemus diſtinguere gratiam à charitate.

Ad 5 Nego minorem. Cùm enim voluntas non diſtinguatur à ſubſtantia animæ, niſi ratione, non conſtituit ſubiectũ realiter diſtinctum, vnde ex iſto capite, non debet gratia diſtingui à charitate, niſi ſecundum rationem, compatibilem cum identitate reali.

Quæres 1. Quæ, & quot ſint cauſæ iuſtificationis? Reſp. cum Trid. hic cap. 7. cauſam finalem eſſe gloriã Dei, & Chriſti, & vitam æternam: efficientem ſolum Deum: meritoriã Chriſtum Dominum: inſtrumentalem pro infidelibus eſſe baptiſmum, & prò fidelibus pœnitentiam: formalem, gratiam habitualem ſanctificantem.

Quæres 2. Quæ, & quot diſpoſitiones prærequirantur? Reſp. cum eodem c. 6. primam eſſe fidem ſupernaturalem, conceptam auxilijs actualibus, qua credatur

vera eſſe, quæ sũt à Deo reuelata, & promiſſa, & iuſtificationẽ fieri per eius gratiam, ex meritis Chriſti. Secunda eſt timor Dei iuſtitiæ. Tertius actus diſpoſitiuus eſt ſpes, quòd Deus ſibi veniam largiatur. Quartus eſt amor Dei, ſaltem inchoatus, quo feratur in eum, tamquam omnis iuſtitiæ, & bonitatis originem. Quintus eſt deteſtatio, & odium peccati. Sextus eſt propoſitum, ſuſcipiendi baptiſmum, vel ſacramentum pœnitentiæ. Septimus eſt propoſitum, ſeruandi præcepta. Octauus eſt propſitum incipiendi nouam vitam, & in melius ſe commutandi.

Quæres 3. An omnes hi actus ſint abſolutè neceſſarij? Reſpondeo affirmatiuè, vt probauimus art. 1. loquendo de lege ordinaria, & de adultis. Quamuis enim poſſit aliquis, e ſpeciali Dei prouidentia, ſtatim aſſumi, & eleuari ad actum ſupernaturalem amoris Dei, in quo omnes alij actus virtualiter continentur, tamen hoc non accidit regulariter loquendo, excluſa dilectione Dei, de qua diſputauimus ar. 3.

Quæres 4 An iuſtificatio fiat in inſtanti? Reſp. quòd ſi iuſtificatio ſumatur prò ſola infuſione gratiæ ſanctificantis, fit in inſtanti, vt docet hic D. Tho. ar. 7. cum quo ſentiunt communiter alij. Si verò ſumatur, vt dicit motum e ſtatu peccati, ad ſtatum gratiæ, includẽdo etiam actus

præ-

præuios ad infuſionem gratiæ, non fit in inſtanti, non ſolùm quia dicit motum, ſucceſſiuum, quem in 3. phyſic. probauimus non poſſe eſſe inſtantaneum, ſed etiam quia hi actus regulariter procedũt, cum ordine prioris, & poſterioris. Ergo non ſunt ſimul tempore, immo nec poſſunt eſſe, aliter prius, & poſterius eſſent ſimul, & idem peccator eſſet in eodem inſtanti impius, & iuſtus, quod repugnat.

Quæres 5. An iuſtificatio impij ſit miraculũ? Reſp. regulariter loquendo non eſſe miraculum, primò quia nõ eſt aliquid mirabile, cùm aſſiduò fiat. Deinde, quia fit ſeruato communi ordine, diuinæ prouidentiæ ſupernaturalis, nempe trahendo impium priùs per fidem, & ſpem, quæ ſunt diſpoſitiones remotæ, & deinde per alias proximiores, & demum per charitatem, quæ eſt vltima diſpoſitio formaliter, & realiter ipſa gratia iuſtificans, vt probauimus. Quòd ſi aliter fiat, non ſeruato communi ordine, vt factum eſt cum D. Paulo, qui ſtatim, nulla præcedente formali diſpoſitione, factus eſt vas electionis, in tali caſu dico, eſſe maximum miraculum, vt docet D. Thom. 1. 2. qu. 113. ar. 10.

Quæres 6. An iuſtificatio impij ſit maximum opus Dei ad extra? Reſp. affirmatiuè cum D. Thom. loco cit. art 9. Ratio eſt, quia iuſtificatio impij, retrahit à malo æterno, & ducit ad bonum æternũ,

 quòd

Digitized by Google

quòd non euenit in alijs operibus Dei ad extra. Ergo benè concludimus cum eodem ex Auguſt.ſup. illud Io. 14. *Maiora horum faciet,* quòd *maius opus eſt, vt ex impio, iuſtus fiat, quàm creare cęlum, & terram.*

* *
*

TRA-

Digitized by Google

TRACTATVS DE MERITO, eiuſque requiſitis.

QVia de hac materia, plurima ſparſim diximus in alijs tractatibus, vt de prædeſtinatione, de Pœnitentia, & fuſiùs de Incarnatione, agentes de merito Chriſti, ideò hic reliqua pauca ſubnectemus. Quæremus ergo 1. an verè dētur opera meritoria, & quę cōditiones requirantur ad merēdū, tàm ex parte operātis, quàm ex parte Dei? 2. An requiratur ordinatio diuina operis ad præmiū? 3. An actus virtutū moralium ſint meritorij? 4. An opus meritorium obliget Deum ex iuſtitia, ad rependendum præmium? 5. Ad quòd præmium extendatur, vbi de eius obiecto.

ARTICVLVS I.

An verè dentur actiones meritoriæ apud Deum?

VIdentur non dari, vt garriunt Lutherani, & Caluiniſtæ, primò quia in natura lapſa non datur libertas, neceſſaria ad merendum. 2. Quia peccatum originale, vtpote inextinguibile, inficit omnia opera, etiam iuſtorum, quæ proinde cùm ſint peccata, non poſſunt eſſe meritoria, vt dicitur Iſaię 64. *Et facti ſumus, vt immundi omnes nos, & quaſi pannus menſtruatæ vniuerſa iuſtiiæ noſtræ.* Et Eccleſiaſtic. 7. *Non eſt homo iuſtus in terra, qui facit bonum, & non peccet.* Et Iſaiæ 1. *Ne offeratis vltra ſacrificium fruſtra, incenſum abominatio eſt mihi.* 3. Ea opera, quæ dicuntur meritoria, ſunt puræ conditiones, ad obtinendũ aliquodà Deo, vel adſummũ ſunt impetratoria, abſq; vlla cauſalitate, ſiue phyſica, ſiue morali, ipſius beneficij, quod obtinetur, quod proinde non poteſt vocari præmium. 4. Eſt de ratione meriti, quòd obliget Deum ex iuſtitia, ad reprendendum præmium. Sed in Deum non cadit obligatio ex iuſtitia. Ergo non datur meritum. 5. Quamuis Deus rependat aliquod, intuitu noſtrorum operum, non tamen hoc facit ex intrinſeca condignitate talium operum,

ſed

ſed ex liberali eius acceptatione, & quia liberè ita præordinauit, vt quoties fierẽt talia opera, ipſe liberè hoc rependat. Ergo ſicut non datur verum præmium, ita nec verum meritum, cùm illud huic non debeatur, ſed ſoli diuinæ promiſſioni, & & præordinationi. vt dicitur ad Rom 8. *Non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad gloriam*: Et Lucæ 17 *Cùm feceritis omnia, quæ præcepta ſunt vobis, dicite, ſerui inutiles ſumus.* 6. Merita Chriſti ſunt infiniti valoris. Ergo non poſſunt augeri per noſtra merita, quæ proinde non poſſunt admitti, ne illis derogent. 7. Meritum non poteſt fundari in ſolutione debiti. Cùm ergo omnia quæ fecimus, ſint aliunde Deo debita, non poſſumus per illa mereri apud Deum.

Concluſio, *Opera iuſtorum, facta ex gratia, & per gratiam, non ſolum ſunt Deo accepta, ſed etiam meritoria vitæ æternæ, tàm de congruo, quàm de condigno.* Eſt cõmunis inter catholicos. Dixi *ex gratia, & per gratiam*, quia opera naturalia nihil merentur apud Deum, quamuis ſint moraliter bona, niſi fortè præmia temporalia, de quibus agemus in loco, & nihil dicimus in præſentia.

Probatur prima pars, primò quia iuſti sũt amici Dei, & operãtur dependenter ab eius gratia. Ergo eorum opera non poſſunt Deo diſplicere. Et deinde quia tàm obſeruantia mãdatorum, quàm actus virtutum præcipiũtur à Deo. Ergo ſi illi di-

ſplicerent, præciperet quod nollet,& per conſequens quod eſſet contra eius volũtatem, quo nihil abſurdius, eò quia per hoc ipſum non eſſent opera bona,ſed mala, vt dicunt Caluiniſtæ, & Lutherani, contra quos fulminat Trid. ſeſſ 6. can. 25. quem infra referemus, in reſponſione ſecundi.

Probatur ſecunda, meritũ de congruo non eſt ſimpliciter meritum, ſed ſolum ſecundùm quid, quatenus videlicet cùm non habeat intrinſecam condignitatem, & æqualitatem cum præmio, habet ſolùm quamdam congruitatem (vnde nomen accepit)& condecentiam, ratione cuius præmiator prudenter, & laudabiliter operatur, illud alijs præferendo, in collatione ſuorum beneficiorũ,quæ liberaliter confert,vt accideret Principi,qui habẽs plures famulos,vni ex illis, ob ſedulitatem, & fidelitatem quibus alios ſuperauit,nõ ſolùm ſoluat mercedem communem alijs, ſed etiam donis peculiaribus locupletet, & ſi ſint mancipia, etiã manumittat,retentis alijs. Meritum autem de condigno eſt illud,quod habet æqualitatem, proportionem, & condignitatem ad præmium, vnde nomen accepit, & ideo acquirit ius ad illud,inducendo obligationem in prẽmiante, ita vt ſi non rependat præmium, faciat contra iuſtitiam, vt docet Angelicus in 2.d. 27. qu.1.ar.3. Quia ergo noſtra bona opera facta in gratia, & cum alijs requiſitis

ſitis infra recenſendis, habent veram condignitatem ad vitam æternam, & prębent ius ad illam, ita vt Deus teneatur ex iuſtitia, illam rependere taliter operanti, talia opera ſunt verè, & propriè merita de condigno, & à fortiori etiam de congruo. Hanc conſequentiam fusè, & prò dignitate probaui, non ſolùm in tr. de prædeſt. de pęnit. & alijs, ſed ex profeſſo in tr. de Deo vno diſput. 18. ar. 1. 2. & 3. ex Trid. Auguſtino, D. Thoma, ſcripturis, rationibus theologicis, Patribus, & ſcholaſticis, quibus nunc nihil addendum cenſeo.

Ad 1. Reſpondet Trid. ſeſſ. 6. can. 5. *Siquis liberum hominis arbitrium, poſt Adæ peccatum, amiſſum, & extinctum eſſe dixerit, aut rem eſſe de ſolo titulo &c. anathema ſit.* Ergo non deeſt homini, etiam poſt Adæ peccatum, libertas neceſſaria ad merendum.

Ad 2. Nego ſuppoſitum. Cùm enim in tr. de Inc. fusè probauerim, Chriſtum veniſſe aduersùs peccatum originale, prò cuius extinctione inſtituit baptiſmũ, non remanet in baptizatis. Et ideo Trid. ſeſſ. 5. can. 5. hæc definit, *Siquis per Chriſti gratiam, quę in baptiſmate confertur, reatum originalis peccati remitti negat, aut etiam aſſerit, non tolli totum id, quod verã, & propriã peccati rationem habet &c. anathema ſit.* Quòd autem opera iuſtorum non ſint peccata, definitur ab eod. ſeſſ 6. can. 25. *Siquis in quolibet bono opere, iu-*

 ſtum,

ſtum, ſaltem venialiter peccare, aut mortaliter, atque ideo pœnas æternas mereri &c. anathema ſit. Ergo falſiſſimum eſt aſſertũ hæreticorum, cum ſuo præſuppoſito. Ad locum Iſaiæ dico, ibi non eſſe ſermonem de ijs, qui verè eſſent iuſti, per iuſtitiam fundatam in obſeruantia legis, & diuinorum mandatorum, ſed de hypocritis, qui cùm eſſent pleni ſcelerum, iactabant iuſtitiã in ſacrificijs, & victimis, vt patet ex his quę ſubdit, *Iniquitates noſtrę quaſi vẽtus abſtulerunt nos, non eſt qui inuocet nomen tuum &c.* Vnde patet reſponſio ad alium locum eiuſdem; ſiquidem ſacrificia fiebant à peccatoribus, vt colligitur ex ſequentibus, *Iniqui ſunt cętus veſtri, &c. manus veſtrę ſanguine plenę ſunt &c. lauamini, mundi eſtote, auferte malum cogitationum veſtrarum &c.* & ideò Deo nõ placebant. Ad locum Eccleſiaſtici, facilis eſt reſponſio; ſiquidem debet exponi, quòd nullus ſit adeò iuſtus, vt aliquando, ſaltem venialiter non peccet, iuxta illud Pſal. *ſepties in die cadit iuſtus*, non autẽ, quòd omnia eius opera ſint peccata, quod vt falſum ſupra reiecimus, cum Trid. hic can. 25.

Ad 3. Patet reſponſio ex dictis, quibus probauimus, opera bona iuſtorum habere intrinſecam condignitatem ad præmiũ, ſi fiant ex gratia. Ergo non ſunt puræ conditiones, ſed veræ cauſæ morales vitæ æternæ, vt definitur ibidem à Triden. can. 32.

Ad

Digitized by Google

Ad 4. Nego minorem, cuius falſitatem adſtruximus in tr de attributis diſp. 18. art. 1. & in tract. de pęnit, & Incar. & alibi.

Vnde patet reſponſio ad 5. Quamuis enim Deus, purè liberaliter nos euexerit ad ſuam filiationem adoptiuā, & præueniat nos ſuis auxilij, tamen poſito ſtatu adoptionis, & gratiæ, noſtra opera intrinſecè dignificantur, ac ſi eſſent filij Dei, & ideò merentur, vt verum præmiū, & vt hæreditatem, vitam æternam, vt docet Apoſtolus *Si filij & hęredes.* Ad locum Rom 8. Dico, noſtra opera, vtpotè temporalia, excedi à præmio æterno, quoad durationem, non verò quoad condignitatem, & proportionem valoris, vt ſe explicat 2. ad Cor. 4. *Momentaneum, & leue tribulationis noſtrę, ęternum gloria pōdus operatur in nobis.* Ad locum Lucę 17 Dico, Chriſtum D. adhortari ſuos electos, nè inflentur ſuis bonis operibus, eò quia per illa nihil in ſe boni recipiat Deus, ſed omnia ordinentur ad eorum vtilitatem, vt dicitur Iob 35. *Si iuſtè egeris, quid donabis ei, aut quid de manu tua accipiet?* vt hinc humiliati ante Deum, omnia referant ad eius miſericordiam, & bonitatem, vnde gratis habuerunt, vt cùm eſſent filij iræ, fuerint eleuati, ad eius filiationem. Præterea poteſt exponi, quòd benè operantes, facimus quod debemus, adeòque ſumus inutiles, quatenus nihil facimus ſupererogationis, quod illi

non

non ſit debitum aliquo modo, titulo creationis, conſeruationis, redemptionis, &c.

Ad 6. Nego conſequentiam, quoad vltimam partem. Quamuis enim noſtra merita non augeant merita Chriſti, nihil tamen illis derogant, immò illa glorificant, & exaltant, quatenus oſtendunt efficaciam eorum valoris, ratione cuius, potuerunt nobis conferre moraliter, ſeu vt cauſa moralis, poteſtatem ad merendum, quam ſine illis nullatenus habuiſſemus. Sicut ergo actiuitas collata cauſis naturalibus magnificat, & non deprimit omnipotentiam, & virtutem infinitam Dei, vnde illa deriuauit phyſicè, ita nec virtus noſtra ad merendum, ab illo nobis moraliter collata, derogat eius meritorum infinitati.

Ad 7. Diſtinguo antecedens, meritū de toto rigore iuſtitiæ obligans præmiatorē ad præmium, non poteſt fundari in opere illi aliunde debito, tranſeat: meritum de condigno, non obligans de toto rigore iuſtitiæ, ſed ſolùm ex condignitate, & proportione operis ad præmium, inuoluente pactum, ſeu ordinationem ipſius præmiatoris, nego antecedens, & cum illo conſequentiam. Diſparitas eſt, quia primum excludit omnem gratiam præmiatoris, non autem ſecundum. Quia ergo noſtra merita accipiunt ſuam condignitatem à gratia, liberaliter conceſſa ab ipſo Deo, ideo non obligant illum

de

de toto rigore iuſtitiæ, ad rependendum præmium. Dico *tranſeat*, primò quia poteſt etiam in dono gratuito, fundari ius ad præmium, ita vt obliget ipſum donantem ex iuſtitia, ad illud rependendum, vt patet in adoptione, quæ licèt ſit gratuita, obligat adoptantem, ad tradendam hæreditatem adoptato, non ſolùm ex promiſſione, ſed etiam ex iuſtitia, licèt non rigoroſa in ſenſu explicato. Quamuis ergo accepeꝛimus gratis à Deo filiationem adoptiuam, tamen poſſumus vt adoptati, mereri de condigno præmiū beatitudinis. Deinde quia non omnia opera bona, quæ facimus, ſunt Deo debita ex iuſtitia, cùm pleraque ſint ſolùm debita ex religione, obedientia, & gratitudine. Ergo poſſumus per eorum ſolutionem, non ſolùm extinguere debitum, ſed etiam mereri de condigno vitam æternam, cùm talis ſolutio, non ſit incompatibilis cum merito, vt probauimus in tr. de Incar. diſp. 4. art. 6. ad 4. Aliter non potuiſſet Apoſtolus aſſerere 2. ad Timot. 4. *Repoſita eſt mihi corona iuſtitię, quam reddet mihi Dominus iuſtus iudex, non ſolum autem mihi, ſed & omnibus, qui diligunt aduentum eius.*

AR-

ARTICVLVS II.

An ad meritum requiratur, quòd ſit actus poſitiuus?

VIdetur, etiam pura omiſſio poſſe eſſe meritoria vitæ æternæ, vt docet Ripalda tom.1 de ente ſuper diſp. 44. ſect.8.n.54 Primò quia per illud idem, per quod homo peccare poteſt, actu commiſſionis vetito, poteſt mereri per purã eius omiſſionem, cùm non minùs ſit præcepta omiſſio mali, quam proſecutio boni, iuxta illud Pſal. *Declina à malo, & fac bonum*. Ergo cùm adimpletio legis ſit meritoria, & omiſſio actus vetiti, ſit adimpletio legis negatiuæ, erit meritoria. Et ideò dicitur Eccleſiaſtici 31. *Qui potuit traſgredi, & non eſt tranſgreſſus, facere mala, & non fecit, ideo ſtabilitá ſunt bona illius in Domino.* 2. Omne meritum fundatur in iuſtitia Sed iuſtitia non ſolùm inclinat ad bonum, ſed etiam ad fugam mali, vt docet Angelicus 2.2.qu.79. ar 1. ad 2. ex Phil.3. ethic.c.5. Ergo etiã in omiſſione mali inuenitur iuſtitia, quæ reddit illam laudabilem, & meritoriam. 3. Pura omiſſio peccati, propter finem non diſplicendi Deo, & cõſeruandi eius gratiam, vtpote habita ex fine ſupernaturali, & per concurſum ſupernaturalem ipſius, eſt intrinſecè ſupernaturalis, &

vo-

Digitized by Google

volita interpretatiuè. Ergo eſt meritoria. 4. De facto in Chriſto viatore, fuerunt plures puræ omiſſiones actuum ſibi prohibitorum, vt fugiendi mortem &c. Sed hæ fuerunt meritoriæ, vtpote laudabiles, & moraliter honeſtæ; aliter Chriſtus habuiſſet aliquod exercitium liberum ſuæ voluntatis non meritorium, quod eſt abſurdum. Ergo pura omiſſio, vt formaliter talis, poteſt eſſe meritoria, etiam in nobis. 5. Tentatio grauis ad fornicandũ ex.g. non poteſt vinci, ſine ſpeciali Dei adiutorio, vt definitur à Trid ſeſſ.6. can. 22. Ergo ſi vincatur per puram omiſſionem fornicationis, hæc vtpote ſupernaturalis, erit meritoria. 6. Poteſt Deus præcipere alicui, vt hic & nunc ceſſet ab omni actu poſitiuo. Sed purè, & liberè omittendo, ſe perfectè conformaret cum diuina voluntate, eiuſque legem perfectè adimpleret. Ergo mereretur.

Concl. *Ad meritum vitę æternę, non ſufficit pura omiſſio, ſed requiritur aliquis actus poſitiuus.* Ita D.Tho. 2.2. q.79. ar.1. ad 2. & cum eo Suar. Vaſq. Gonet, Ruiz, Ouiedo, & communiter alij.

Probatur 1. Nullus actus eſt meritorius vitæ æternæ, niſi habeat intrinſecam condignitatem, & moralem proportionẽ cum illa, tamquam cum præmio. Sed hęc non poteſt cõuenire puræ omiſſioni, primò quia non poteſt pendere à principio ſupernaturali, vnde trahat ſupernaturalitatem; cùm enim in ſe nihil ſit, non

po-

Digitized by Google

poteſt terminare influxum, & cauſalitatem gratiæ. Deinde quia meritum apud Deum, debet cedere in eius obſequium, & cultum, cuiuſmodi non eſt pura omiſſio, quæ cum non ſit directè, & formaliter voluntaria, ſed ſolùm indirectè, & interpretatiuè, ad nullam virtutem reduci poteſt. 3. Non eſt ordinabilis ad finem ſupernaturalem: non intrinſecè, quia cum ſit pura carentia, non poteſt dicere vllum verum, & realem reſpectum, neq; extrinſecè, quia per hoc ipſum penderet ab aliquo actu, adeoque non eſſet pura omiſſio. Ergo hæc vt hæc, non poteſt eſſe meritoria.

4. Meritum debet eſſe ornamentum, & decor merentis, vnde fiat gratus, & acceptus præmianti. Nullum autem reſultat ornamentum, & dignitas purè omittenti, quia ſubeſt priuationi cuiuſcumque actus, per quam, nullam acquirit formam dignificantem. Ergo purè omittens nihil meretur. Probatur maior, non poteſt aliquis mereri apud Deum, niſi fiat melioris conditionis, quàm eſſet antea. Atqui per puram omiſſionem, omittens non melioratur, ſed ſolùm non deterioratur, quod non ſufficit ad ornatum, vt patet. Ergo non fit gratus, & acceptus ipſi Deo, adeòque nihil meretur.

Ad 1. Nego antecedens, cùm plura requirantur ad bonum, quod debet eſſe ex integra cauſa, quàm ad malum, quod

fit

ſit per ſingulos defectus. Ergo licèt poſſit eſſe peccaminoſa pura omiſſio libera, non tamen poteſt eſſe meritoria. Nam ex.gr. ad hoc vt homo ſit deformis, ſatis eſt quod careat naſo. Ad hoc autem vt ſit pulcher, non ſufficit quòd habeat naſum bene organizatum, ſed requiritur etiam, quod habeat alias partes perfectas. Ex eo ergo quòd ſit etiam præcepta omiſſio mali, adeòque hæc ſit adimpletio legis negatiuæ, non ſequitur illam eſſe ex ſe formaliter meritoriam, ſicut ex eo quod ſeruus nihil mali faciat domino, nihil apud illum mereatur, niſi cum fuga mali, coniungat poſitiuum ſeruitium, & ideo dicitur, *declina à malo, & fac bonum*, copulatiuè, vt appareat, vnum ſine alio non eſſe præmiabile. Ad locum Eccleſiaſtici dico, ibi laudari non tranſgreſſionem, quatenus ipſa non tranſgreſſio, eſt realiter obſeruantia legis, vt accidit in præceptis poſitiuis, vel cum illa coniungitur, vt in negatiuis, vt mox patebit.

Ad 2. Concedo totum, quod non facit ad intentum arguentis. Intantum enim in omiſſione mali, inuenitur laudabilitas, & meritum iuſtitiæ, inquantum importat motum voluntatis, repudiantis malum, vt ibidem ſe eplicat Angelicus, ſine quo non eſſet pars iuſtitiæ, vt patet in dormiente, qui licèt omittat negatiue malum, quia tamen non omittit per actum auerſatiuum illius, ſed per puram negationem, non exercet virtutem iuſtitiæ

ciæ, quamuis neque faciat contra ipſam, & ideo per talem omiſſionem, neque meretur pręmium, neque pęnam.

Ad 3. Nego antecedens, ex falſo ſuppoſito, quòd omiſſio peccati, propter finem non diſplicendi Deo, ſit pura omiſſio, & ſolùm volita interpretatiuè. Cum enim in illa inueniatur directio ad finem ſupernaturalem, quæ non poteſt eſſe intrinſeca ipſi puræ omiſſioni, neceſſariò debet inuoluere extrinſecum actum voluntatis, illam taliter dirigētem, per modum obiecti voliti. Ergo eſſet formaliter volita, & non interpretatiuè, & ratione huius volitionis, eſſet meritoria, quatenùs ſupra illam caderetį concurſus ſupernaturalis, non autem ſupra ipſam omiſſionem, quæ cum ſit purum non eſſe mali, non poteſt terminare concurſum Dei, qui cùm ſit cauſalitas, debet terminari ad aliquod poſitiuum, quod per illum de nouo fiat.

Ad 4. Nego maiorem. Quamuis enim in 1. phyſ. dixerimus, Chriſto, & Beatis non repugnare puram omiſſionem liberam, non tamen hoc admiſimus, circa obiecta virtutum, & vitiorum, cùm tàm ad earum proſecutionem, quàm ad horum fugam, determinentur à charitate, per quam omnia, tam poſitiua, quàm negatiua, referunt in Deum. Quamuis ergo admittatur, quòd in ipſa omiſſione actuum vetitorum, nullus interueniat formaliter actus, ſaltem de poſſibili, tamen

ſem-

ſemper præſupponit actumcharitasti, vt cauſam, ſeu principium omiſſionis, ratione cuius dignificatur omiſſio, non quidē in ſe, ſed in cauſa, vt accidit in omnibus actibus circa obiecta phyſicè indifferentia, quę dignificantur in ſui cauſa, ex qua ſumunt moralitatem (vt videbimus in loco) per hoc quòd ordinentur ad bonum, vel prauum finem.

Vnde patet reſponſio ad 5. Siquidem non fornicari, quatenus dicit purum non agere, non eſt meritorium, niſi ordinetur ad finem ſeruandi legem diuinam, quâ prohibetur fornicatio. Niſi velimus dicere, non ſolùm dari, obligationem, ad non faciendum actum vetitum, ſed etiam ad reſiſtendum graui tentationi ad illum, per conatum poſitiuum, nè voluntas nihil agēdo exponatur periculo proximo, conſentiendi. Nam admiſſa tali obligatione, ipſa pura omiſſio fornicationis, eſſet formaliter praua, non ex obiecto, ſed ex difformitate cum lege, & ideo non poſſet eſſe meritoria.

Ad 6. Nego minorem, quia non datur moralis adimpletio, niſi lex cognoſcatur, & acceptetur eius adimpletio. Si enim detur lex e.g. ieiunandi in tali die, & Petrus illam non agnouerit, vel agnitam repudiauerit, quamuis tali die, ob alios fines ieiunet, adimplet quidem legē materialiter, nō tamen moraliter, eò quia ieiunium non ordinetur ad obſeruantiam talis legis, quam contemnit, & eſſet diſpo-

ſpoſitus ad illam violandam, niſi alij fines illum impelleret ad ieiunium. Sed poſita acceptatione legis, & directione ieiunij ad eius obſeruantiam, iam daretur aliquis actus poſitiuus, qui eſſet cauſa talis omiſſionis, vnde ipſa omiſſio acciperet moralitatē Ergo adimpletio talis præcepti, per puram omiſſionem, materialiter, & ſecundùm ſe conſideratam, non eſſet meritoria, ſed ſolùm per dependentiam ab actu poſitiuo, illam imperante. Præterquamquod poſſet etiam dici, quòd in tali caſu (ſi tamen ſit poſſibilis) illa pura omiſſio libera, quatenus per ſe, & directè à Deo volita, acciperet quandam moralitatem à Diuino præcepto, vnde vt per ſe formaliter illius impletiua, eſſet Deo accepta; ac proinde per accidēs meritoria, quod non euenit in alijs puris omiſſionibus, in quibus liberè exercetur voluntas, de quibus hic loquimur.

ARTICVLVS III.

An requiratur perfecta libertas?

VIdetur non requiri, vt plures autumant. Primò quia poſſet aliquis neceſſitari, ad alterutrum ex duobus actibus omninò æqualibus, in bonitate morali, vt eſſent duo actus charitatis, eiuſdē intenſionis. Sed hic non haberet perfectā libertatem ad illos, eò quia non poſſet vtrum-

vtrumque omittere, & tamen per quemlibet eliceret, mereretur, vt affirmant Granadus, Leſſius, Henriquez, & alij. Ergo ad meritum non requiritur perfecta libertas.

2. Habituatus ad bonum, illud facit, etiam cum minori aduertentia, propter maiorem facilitatem, & voluptatem, quas percipit ex habitu ad operandum, vnde minuitur voluntarietas in operando. Ergo non habet perfectam libertatē. Hoc tamen non obſtat, quò minùs mereatur, aliter aſſuetudo ad bonum eſſet nociua, quod eſt abſurdum. Ergo ad meritum ſufficit imperfecta libertas.

3. Quilibet actus dignificatus à gratia habituali, ex qua profluit, eſt meritorius. Sed etiam actus boni ſemideliberati, facti à iuſto dignificantur à gratia habituali, in eo inhærente. Ergo licèt ſint imperfectè liberi, ſunt meritorij.

4. Sola libertas à coactione ſufficit ad meritum, vt docet D. Thomas de Chriſto in 3. d. 18. qu. 1. ar. 2. ad 5. his verbis, *Etiamſi liberum arbitrium Chriſti eſſet determinatum ad vnum numero, ſicut ad diligendum Deum, quod non facere non poteſt, tamen per hoc non amittit libertatem, aut rationem laudis, ſiue meriti, quia in illud, non coactè, ſed ſponte tendit, & ita eſt actus ſui dominus.* Ergo non requiritur perfecta libertas, ſed ſufficit ſpontaneitas, & imperfecta.

5. Angeli in primo ſuæ creationis

nis inſtanti, fuerunt moraliter neceſſitati ad bonum, vt nos admiſimus in tr de ang. diſp 18. ar. 3. Ergo ad illud non fuerunt perfectè liberi. Hoc tamen non obſtante, ſicut potuerunt peccare, ita & mereri, vt nos ibid. conceſſimus, & diſp. 16. ar. 1. Ergo etiam cum imperfecta libertate, prouueniente ex impotentia morali ad oppoſitum, poteſt dari meritum.

Concluſio *Ad actus meritorios, eſt quidē neceſſaria perfecta libertas contradictionis, & exercitij, non tamen ſpecificationis, & contrarietatis* Ita Suarez, Ouiedo, Gibbo, Zumel, & alij communiter cum D. Tho. 1. 2. qu. 21. ar. 3. & ar. 4. ad 2. inquit, *Homo ſic mouetur à Deo vt inſtrumentum, quod tamen non excludit, quin moueat ſeipſum per liberum arbitrium; & ideo per ſuum actum meretur, vel demeretur apud Deum.*

Probatur prima pars, quam Gonettus hic diſp. 1. ar. 2. ait eſſe de fide, tamquam definitam ab Innocentio X. in quadam Conſt. edita 1653. qua damnat vt hęreticam hanc propoſitionem oppoſitam. *Ad merendum, & demerendum, in ſtatu naturæ lapſę, non requiritur in homine libertas à neceſſitate, ſed ſolùm à coactione.* Quod confirmat ex D. Tho. qu. 6. de malo ar. 1. (vbi vocat hæreticos aliter opinantes) Primò quia libertas eſt fundamentum totius moralitatis, vt fatentur omnes, etiā ethnici, cum Phil 3. ethic. c. 5. & patebit in loco. 2. Quia meritum includit virtua-

tua-

tualem quemdam contractum ex iuſtitia, quo quis offert aliquod ſuum alteri, in eius obſequium, & vtilitatem, vt ex illo recipiat in præmium, aliquod aliud, quod ſit ſub eius dominio, & poteſtate. Ergo neceſſariò inuoluit dominium, & libertatem, ex parte vtriuſque. Si enim alteruter haberet neceſſitatem phyſicam, ad dandum, qui taliter daret, neq; eſſet merens, neque præmians, vt accidit famulis, qui ſeruiendo ſuis dominis, non merentur, & ipſis dominis, qui præbendo famulis alimentum neceſſarium, illos nõ præmiant. 3. Quia ſi aliquis cogeret aliũ ad aliquid faciendum, ſicut coactus non mereretur, quia non liberè ageret; ita cogens non teneretur ad illi præmium rependendum, ſed ad ſolum pretium operis, vel ad laboris mercedem. Optimè igitur concludit Aug cap. 7. de grat. & lib. arb. *Ipſa diuina præcepta homini non prodeſſent, niſi haberet liberam voluntatem, qua ea faciens, ad promiſſa præmia perueniret.* Vnde infertur, neque de potentia Dei abſoluta, poſſe dari opus meritorium, quod non liberè procedat ab operante.

Probatur ſecunda pars, Chriſtus Dominus, vtpotè impeccabilis, non habuit indifferentiam, ad benè, vel malè operãdum, ſed ſolam indifferentiam ad bene operandum, vel ad non operandum, & tamen ſibi, & nobis meruit perfectiſſimo modo, immò meritis infiniti valoris, vt

fusè probauimus in tr.de Incar. Ergo ad merendum, non requiritur libertas contrarietatis, ſeu ſpecificationis, ſed ſufficit libertas contradictionis. Quòd autem hæc debeat eſſe perfecta, hoc eſt cum plena aduertentia, & deliberatione voluntatis, probatur 1. Quia non debet eſſe minor, quàm ſit neceſſaria, ad grauiter peccandum. Et deinde quia cùm inducat obligationem ex iuſtitia, ex parte præmiantis, ad præmium rependendum, vt dictum eſt, tanta debet eſſe, quanta debet eſſe, ad alios contractus ex iuſtitia, vt ſunt votum matrimonium, donatio &c. Sed ad hos requiritur perfecta libertas, nec ſufficit ſemiplena, & ſemideliberata voluntas, qui non ſunt propriè actus humani, vt docet Angelicus hic qu.1.art.1. Ergo etiam ad illud. Minor probatur, quia nullus contractus ex iuſtitia, eſt validus, niſi procedat à domino, ſui actus. Nullus autem eſt dominus ſui actus, niſi poſſit illum facere, vel non facere, vt docet D. Tho.1.p. q.82. art. 1. ad 3. Ergo nullus talis contractus eſt validus, & obligatorius ex iuſtitia, niſi procedat à contrahente, qui habeat libertatem contradictionis.

Ad 1. Nego minorem, quoad ſecundam partem: Et ratio eſt, quia neceſſitatus ad omninò æqualia, diſiunctiuè, eſt neceſſitatus ad operandū ſimpliciter; quidquid enim faciat, ſemper facit idem æquiualenter. Ergo cùm non poſſit vtrumque

omit-

omittere, neceſſariò facit quod facit. Conſequentia patet; ſiquidem neceſſitas ad tale diſiunctum, eſt neceſſitas ad bonū, vt coniūctum cum excluſione æqualis boni, adeò vt tantumdem boni faceret, cum excluſione æqualis boni, ſi omiſſa tali parte, eligeret aliam. Ergo obligatio neceſſitans ad diſiunctum, refunditur in ſingulas partes, ſecundùm æſtimationem prudentum, vt accideret, ſi aliquis obligaretur ad ſoluendum vnum ex duobus aureis, eiuſdem omninò cunij, & valoris. Ergo nihil mereretur, eligendo vnā partem præ alia. Antecedens probatur, ſiquidem neceſſitas diſiunctiua ad æqualia, ex vna parte obligat ad vnum ex illis, & ex alia, nullum bonum præponderans inuenit in alterutra. Ergo ſi ſupponamus, vtrumque bonum eſſe, vt 4., cùm non poſſit ſimul vtrumque haberi, neceſſitat ad bonum vt 4., quod perinde habetur in vtraque parte. Ergo eſt neceſſitas ad volendum ſimpliciter bonum vt 4., adeòque ad ſimpliciter operandum. Vnde ex defectu libertatis, hæc electio non eſſet meritoria.

Ad 2. Reſp. primò negando antecedens ſubſumptum. Cùm enim hic habitus, vtpote acquiſitus ex actibus frequentatis, eſſet naturalis, non daret actibus ex illo conſequentibus, ſupernaturalitatem, vnde acquirerent condignitatem, ad præmium ſupernaturale. Cùm ergo minueret illorum voluntarietatem, tol-

leret ab illis rationem meriti, in ordine ad vitam æternam. Non tamen eſſet nociuus, quia ex tali habitu naturali, inclinaretur operans ad plures alios actus perfectè deliberatos, quos fortaſſe non faceret, niſi ſentiret in illis facilitatem. Ergo nocumentum ad paucos actus, compenſaretur pluralitate aliorum, qui fiunt ex tali habitu. Deinde nego primum antecedens, non ſolùm, quia hi pauci actus, licèt non eſſent formaliter in ſe perfectè deliberati, eſſent tamen in cauſa ſaltem remota, non retractata, nempe in ipſo habitu, qui eſſet effectus actuum perfectorum, qui non eſſent retractati, ex quo potuiſſent præuideri, & eſſe voliti tales actus; ſed etiam quia habituatus ad aliquid, faciliùs ſe determinat ad opera ſimilia facienda illis, quorum frequentatione acquiſiuit habitum, circa talem materiam. Ergo non ita facilè erumpit, circa illam, in actus ſemideliberatos, propter voluptatem, quam ſentit in eorum exercitio, vt expendimus in Logica lib. 1. diſp. 1 ar. 16. Quamuis ex promptitudine operandi, videatur oppoſitnm.

Ad 3. Nego minorem, cùm gratia non dignificet, niſi actus habentes perfectam bonitatem moralem, quæ nō inuenitur in ſemideliberatis. Neq; obſtat, quòd in iſtis poſſit eſſe moralitas prauitatis, propter diſparitatem allatam ar. 2. dùm reſponderemus ad 1.

Ad 4. Nego antecedens. Ad auctori-

ta-

tatem D. Thomæ dico, ex ipſo textu patere ſolutionem. Cùm enim ibi habeatur, quòd Chriſtus eſſet dominus ſuorum actuum, quibus merebatur, vtique poterat illos facere, vel non facere, adeòque habebat ad illos libertatem cōtradictionis, quam placuit explicare per ly *ſpontè*, & *non coactè*, quamuis terminis minùs proprijs.

Ad 5. Nego conſequentiam. Nam in loco citato diximus, angelos cum neceſſitate morali ad bonum, retinuiſſe potentiam phyſicam ad malum, adeòque concluſimus, etiam in primo inſtanti potuiſſe peccare, quod denotat libertatem phyſicam contrarietatis. Præterquamquòd moralis impotentia ad peccandum, auferebat quidem ab angelis libertatem moralem contrarietatis, non tamen libertatem contradictionis, ſufficientem ad meritum, eò quia illa impotentia retrahebat ita à malo, vt non neceſſitaret ad bonum, ſicut fuit impeccabilitas in Chriſto, cum qua retinuit indifferentiam, non ſolùm ad maius, vel minus bonum, ſed etiam ad bonum, vel eius priuationem non prauam, vt diximus in tr. de Incarnatione.

ARTICVLVS IV.

An requiratur indiſpenſabiliter ſtatus viæ?

VIdetur requiri, vt propugnat Vaſq. hic 2.p.diſp.216.cum Turriano, Meratio, Lugo, & alijs. Primò quia, quod requiritur ex natura rei, diſpenſari à Deo non poteſt, & ideo Deus non poteſt aliquid calefacere, ſine calore. Sed ſtatus viæ requiritur ex natura rei ad meritũ; & ideo quia Chriſtus debuit mereri, vt prò nobis ſatisfaceret, fuit detentus in ſtatu viæ, quo abſoluto per mortem, ampliùs non meretur. Ergo requiritur indiſpenſabiliter ſtatus viæ; aliter fuiſſet iniurioſum Chriſto, cui ex vi vnionis cum Verbo, debebatur beatitudo animæ, & corporis, illum priuare ad tempus, beatitudine corporis, vt poſſet pati, & mereri.

2. Status merendi, eſt ſtatus viæ ad præmium. Sed præmio obtento, ceſſat ſtatus viæ ad illud, cuius loco ſuccedit fruitio. Ergo ceſſat ſtatus merendi, vt docet Eccleſiaſtes c. 9. *Mortui nihil nouerunt ampliùs, nec habẽt vltra mercedem*, & D. Tho. 2.2.qu.13.ar.4.ad 2. ait, *Mereri, & demereri, pertinet ad ſtatum viæ.*

3. Deus obligatur ex iuſtitia, ad repẽdendum præmium, meritis de condigno,

vt

vt vidimus in 1.art. & probauimus in tr. de Deo vno diſp.18. Sed ſi ad meritum non requiratur, vt ſimpliciter neceſſarius ſtatus viæ, Beati per actus feruentiſſimos charitatis,quos aſſiduò in cælo eliciunt,haberent ſemper noua merita de cõdigno. Ergo teneretur Deus ex iuſtitia, illos aſſiduò præmiare, per augmenta gloriæ, quæ proinde numquam eſſet in termino vltimatè perfecto, adeoque non eſſet inuariabilis, & immutabilis, quod repugnat tali ſtatui.

4. Beatitudo eſſentialis excludit omnem anxietatem, & miſeriam, vt probauimus in tr. de beat. At ſi beati poſſent ſimplicitèr,& abſolutè mereri vlteriorem beatitudinem, ſemper eſſent miſeri, eò quia inhiarent ad maiorem, & maiorem beatitudinem, & anxiarentur, quòd ſola Dei voluntate, impedirentur ab huiuſmodi acquiſitione, & cruciarentur ſpe, quòd Deus aliquando ſecum diſpenſet à tali lege. Ergo nec de potentia Dei abſoluta, mereri poſſunt, ex defectu ſtatus viæ.

Concl. *Quamuis de facto, ad meritum de condigno vitæ æternæ, requiratur ſtatus viæ, tamen quia hoc ex pura Dei ordinatione deriuat, non eſt indiſpenſabiliter neceſſarium, & ex natura rei.* Ita Suar. lib.12. de grat. c. 15. cum communi theologorum ſuffragio.

Probatur prima pars 1. ex argumentis allatis, quæ ſunt valdè efficacia,ſi ap-

plicentur ad ſtatum de facto. Et ideo S. Hyer. ſup. locum allatum in 2. argum. ait, *Mortui nihil valent ad id adijcere, quod ſemel ſecum tulere de vita.* Et infra. *Neque expectant aliquam retributionem, aut mercedem.* Deinde ex oraculo veritatis, quam Christus D. Io. 9. de ſe dixit, *Me oportet operari opera eius, qui miſit me, donec dies eſt* (hoc eſt, dùm vobiſcũ maneo, vt communiter exponitur hic locus) *venit nox, quando nemo poteſt operari,* hoc eſt mors; ſicut enim vita hominis dicitur dies, ita eius mors dicitur nox, eò quia ceſſet lux diuinæ benignitatis, qua poſſit meritoriè operari. Si ergo Chriſtus D. teſtatur de ſeipſo, poſt ſuam mortem non fore meritoriè operaturum, quãtò minùs poterunt puri homines? Et ideo dicitur Eccleſiaſtici 11. *Vbicumque ceciderit lignum, ibi erit:* & ad Galat 6. *Dùm tempus habemus, operemur bonum*; non quòd etiam in patria non ſimus benè operaturi, ſed quia non meritoriè. Demùm quia congruum fuit, vt homini deputaretur ſtatus certus, in quo poſſet per viam mandatorum incedens, ſtrenuè pugnare cum hoſtibus, vt deinde referat præmium ſuæ pugnæ, in termino pugnæ, & ſtadij. Nõ potuit autem decerni ſtatus cõgruentior, quàm ſtatus coniunctionis cum corpore, vt docet Apoſtol. 2. ad Cor. 5. *Omnes nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, vt referat vnuſquiſque propria corporis, ſiue bonum, ſiue malum, prout geſſit.* Ergo ex-

tra

Digitized by Google

tra talem ſtatum, non datur locus merẽdi, & ideo 2. ad Cor. c. 6. *Hortamur, nè in vacuum gratiã Dei recipiatis. Ait enim, tempore accepto exaudiui te, & in die ſalutis adiuui te. Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis,* hoc eſt dùm peregrinamtur à Domino in via.

Dices, animæ iuſtorum in purgatorio, & beatorum in patria, poſſunt ſibi, & nobis multa mereri, ſaltem de congruo, quamuis ſint in termino. Ergo neque de facto requiritur ſtatus viæ. Nego antecedens, Primò quia diximus in tr. de pęnit. diſp. 9 art. 3. animas detentas in purgatorio, non ſatisfacere ſuis pęnalitatibus. Cùm ergo omne opus meritorium ſit ſatisfactorium, vt inibi probauimus, non poſſunt de facto exercere opera meritoria. Deinde quia ſi poſſent mereri, cùm in tali ſtatu eliciant actus feruentiſſimæ charitatis, omnes aſſequerentur sũmam beatitudinem. Ergo non aſſequerẽtur illam, vt proportionatam operibus meritorijs, quæ geſſerunt in corpore, ſed multò maiorem, quod repugnat Apoſtolo 2. ad Cor 5. vt nuper vidimus. Et demum quia ſanctiores, qui nihil habent purgandum in alia via, eſſent deteriores, quàm alij, qui propter maculas ſuperſtites, poſſent alios in beatitudine ſuperare, ratione talis ſtatus, quod eſt abſurdũ. Præterquamquòd licèt admittatur, quod aliquid mereri poſſint de congruo, ſaltem alijs, vt plures dicunt, hoc ideo eſ-

ſet, quia purgatorium non dicit terminū conſumatum, & vltimatum, ſed medium inter viam, & terminum, quod tamen nos non admittimus, putantes, viam vltima morte penitus terminari. Dixi *vltima morte*, quia miraculosè ad vitam reuocati, vt Lazzarus, prima morte interruperunt quidem vitam, adeòq; ſtatū viæ, non tamen terminarunt. Et ideo puto, quòd clementiſſimus Deus, ſuſpendat reſpectu talium, quos præuidet reſurrecturos, ſententiam definitiuam, quoadvſque vltimatè moriantur.

De beatis eſt alia ratio, quia cùm hi numquam e ſtatu beatitudinis, reuocentur ad viam, ſunt vltimatè in termino. Ergo nec ſibi, nec alijs vllatenus mereri poſſunt, in hac prouidentia. Atq; adeo quando nobis obtinent beneficia, id non faciunt illa merendo, ſed impetrando, ſuis orationibus inclinando Deum, ad illa conferenda. Ergo illa non obtinent per modum præmij, & remunerationis, quod eſt proprium meriti, etiam de congruo, ſed per modum liberalis conceſſionis, qua Deo placet eorum preces exaudire, & poſſet, abſque vlla iniuſtitia, non exaudire, ad purum ſuum beneplacitum. Vnde obiter patet, in quo differat impetratio à merito de congruo, de quo alibi.

Hic obiter quæritur, quid ſit dicendum de Enoch, & Elia detentis miraculosè à Deo, in paradiſo terreſtri, vt communi-

niter aſſeritur? Reſp. breuiter, eſſe valde probabile, Deum cum illis pepigiſſe, vt retentis meritis, quæ habebant ante raptum, interim euocatis animis à rebus ſæcularibus, à quarum conſortio abſunt, cæleſtem quamdam ducant vitã, quæ ſimul ſit meritum, eiuſque præmium, quoadvſque redeuntes ad conſortium hominum, vt pugnent cum Antichriſto, eorum futura opera cum præteritis, expediantur ad prẹmium vitæ æternæ. Cùm enim nihil certi pateat è ſcripturis, poſſumus probabiliter opinari, vel quod Deus illos teneat, veluti à ſenſibus abalienatos, vt dicitur factitatum cum 7. dormientibus, vel quòd illis per modũ actus tranſeuntis, reuelauerit ſuam faciem, vt dicitur factum cum D. Paulo, vel alio modo Deo poſſibilì, quo vel nihil de nouo mereantur, vel ſimul mereantur, & præmientur, ita vt merita, vtpote facta extra ſtatum pugnæ, condignè præmientur viſione tranſeunte, nè in vnum collecta, tot ſæculorum decurſu, ſuperent Præcurſorem, Apoſtolos, & Deiparam, quod non videtur dicendum.

Probatur ſecunda pars, Primò quia ſtatus viæ non eſt neceſſarius, niſi ex diuina ordinatione. Ergo in alia prouidentia, potuit non fieri hæc ordinatio. Conſequentia patet. Antecedens probatur, nam actus beatorum, ſaltem circa obiecta creata, qui non neceſſariò connectuntur cum amore Dei, habent om-

nes conditiones requiſitas ad meritum, præter ſtatum viæ, nam liberè fiunt libertate contradictionis, ſunt honeſti, ſupernaturales, & moraliter boni, non ſolum ex parte finis, cum omnes dirigantur ad Deum, ſed etiam ex parte obiecti, nam ſunt circa obiecta virtutum moralium, & ex parte circumſtantiarum concomitantium, quæ omnes conferunt ad eorum laudabilitatem, & honeſtatē. Ergo quòd non ſint meritorij, ex ſolo defectu viæ, hoc non poteſt arguere defectum condignitatis in ipſis actibus, qui habent maiorem condignitatem cum augmento gloriæ, quàm habeāt actus hominum viatorum, cum ipſa beatitudine quoad ſubſtantiam, ſed ex pura carentia diuinæ ordinationis.

2. Omnia quæ probant neceſſitatem ſtatus viæ, non habent locum, in ordine ad diuinam voluntatem, quæ cùm nullis legibus obſtringatur, ſicut potuit abſolutè, non ordinare hominem ad finem ſupernaturalem, & non præbere illi potentiam ad merendum, ita potuit illi tribuere talem potentiam aliquibus conditionibus alligatam, & potuiſſet illam tribuere, à talibus conditionibus expeditā, in quo caſu, in quocumque ſtatu, poſſet homo mereri de condigno, non ſolùm aſſequutionem, ſed etiam augmentum ſupernaturalis beatitudinis iam poſſeſſæ, cùm in hoc nulla inuoluatur repugnantia, ex parte actus meritorij, vel merentis,

tis, & nulla indecentia ex parte ipſius Dei, taliter pro libito diſponentis, vt patebit obiectionum ſolutionibus.

Vnde patet ſolutio ad 1. Ad illationẽ de Chriſto, dico, in hac prouidentia, etiam Chriſto fuiſſe neceſſarium ſtatum viæ ad merendum, non quidem quia meritum id exigeret ex natura rei, ſed quia Deus ita voluit. Hæc autem Dei ordinatio, non fuit iniurioſa Chriſto D. primò quia liberè illam acceptauit. Et deinde quia redundauit in maiorem eius gloriam, & hominum, quos vnicè amabat vtilitatem.

Ad 2. Dico, argumentum concludere, prò hac prouidentia, non autem prò alia abſolutè poſſibili, in qua poſſet aliquis eſſe in termino beatitudinis quoad ſubſtantiam, & in via ad eius augmentum, vel ad beatitudinem accidentalem.

Ad 3. Nego conſequentiam, quoad vltimam partem. Quamuis enim de facto beatitudo ſit vltimatè perfecta, & inuariabilis, quia tamen hoc habet ex diuina ordinatione, potuit fieri aſſiduò per merita beatorum augmentabilis, per aliã diuinam ordinationem. Non tamen eius ſequeretur infinitas, quia licèt eius augmenta fierent per infinitum tempus à parte poſt, ſemper tamen eſſent finita, & quia numquam ſimul ponerentur omnia poſſibilia, ideo non facerent illam cathegorematicè infinitam, ſed ſolùm ſyncathegorematicè, quod nullum trahit

hit abſurdum. Præterquamquòd potuiſſent aliunde hæc augmenta, immo & ipſa merita terminari, vt diximus de meritis Chriſti in tr. de Inc. Ergo ex hoc, de neceſſitate, nulla ſequeretur eius infinitas.

Ad 4. Nego minorem. Cum enim Beati perfectiſſimè vniformentur diuinæ voluntati, in eius actuali ordinatione conquieſcunt. Atque adeo ſicut non anxiantur, quòd maiorem de facto beatitudinem non habuerint, neq; inuident beatioribus, ita & multò minùs anxiantur, quòd non habeant eius augmentum, quãuis cognitum vt ſibi abſolutè poſſibile, quia illud ſimul cognoſcunt à Deo nolitum. Nec poſſunt cruciari ſpe, quòd Deus aliquando immutet hunc rerum ordinem, diſpenſando defectum viæ, vt mereantur, quia illum clarè vident vt immutabilem, adeòque numquam futurum talem ſtatum.

ARTICVLVS V.

An requiratur ſtatus gratiæ ſanctificantis?

VIdetur non eſſe ſimpliciter, & abſolutè neceſſarius hic ſtatus ad meritum, vt propugnant Scotus in 1. d. 17. qu. 2. ar. 2. cum ſuis, Nominales, Caietanus, Medina, Suarius, Granadus, Tanner,

ner, & alij penès Maſtrium hic diſp. 3. qu.3.ar.2. qui omnes ſupponentes, condignitatem meritorum ad gloriam, non haberi ex natura gratiæ, pròut conſideratur in genere entis, & qualitatis, ſed ſolùm pròut conſideratur in genere doni, & beneficij, hoc eſt quatenus includit legem, & ordinationem diuinam, vt fusè expendimus in tr.de iuſtific. diſp.1. art.4. conſequenter dicunt, etiam ſine gratia intrinſecè inhærente, per modum qualitatis, non quidem de facto, ſed per abſolutam Dei potentiam, poſſe dari, tàm in natura integra, quàm in lapſa, meritum vitæ æternæ,

Eorum fundamenta reducuntur ad hęc, Primò quia poteſt Deus per ſolam extrinſecam acceptationem, reddere ſibi aliquē amicum, & gratum, nempe acceptando eius opera, vt ſui amici; ſicut enim per ſolam extrinſecam condonationem, poteſt remittere peccata, vt nos conceſſimus loc.cit.art.9.quare non poterit etiā per ſolam extrinſecam acceptationem, reddere ſibi amicum, & gratum? Sed poſita hac extrinſeca acceptatione, reſpectu Petri ex. gr. eius opera moraliter honeſta, per ſolam dependentiam ab auxilijs actualibus, eſſent ſupernaturalia, & meritoria vitæ æternæ. Ergo ad hoc, non eſt ſimpliciter neceſſaria gratia habitualis, per modum qualitatis intrinſecè inhærentis.

2. Tota ratio, quare admittatur neceſſa-

ceſſaria gratia habitualis, tàm in ſtatu naturæ integræ, quàm in ſtatu naturæ corruptæ, eſt quia in illo actus homini naturales, ſine tali gratia, non proportionantur præmio ſupernaturali, & in hoc, quia ſine tali gratia, non remittuntur peccata, quæ vnicè impediunt aſſecutionem beatitudinis. Sed vtrumque poſſet præſtari per cōdonationem extrinſecam, & talium actuum acceptationem. Ergo in neutro ſtatu, eſt ſimpliciter neceſſaria huiuſmodi gratia.

3. Principes ſolo ſuo beneplacito, tribuunt valorem monetæ, quem ex ſe nullatenus habet. Ergo à fortiori poteſt Deus, qui eſt dominus gloriæ, tribuere valorem proportionatum illi, actibus hominis in pura natura, vel in lapſa, exiſtētis extra ſtatum gratiæ, tribuendo illis ſupernaturalitatem per auxilia actualia.

4. Deus promiſit vitam æternam, ſub ſola conditione obſeruantiæ ſuorum mādatorum, Matth 19. *Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata.* Sed obſeruantia mandatorum, poteſt fieri, ſine gratia habituali, cum ſolis auxilijs actualibus. Ergo per ſolam diuinam promiſſionem, hęc obſeruantia acquirit condignitatem ad vitam æternam.

5. Bonitas, & malitia actuum humanorum, habent neceſſariò annexa, vt proprietates ſibi debitas, meritum, & demeritum. Ergo ſicut ad malitiam moralem ſequitur demeritum indiſpenſabiliter, licèt

cèt operaus habeat multa bona opera; ita ad bonitatem ſequitur meritum, licèt non ſit cum tali gratia.

Concluſio *De facto ad meritum de condigno vitę ęternæ, eſt omninò neceſſarius operanti, ſtatus gratię ſanctificantis; de poſſibili verò, licèt poſſet ſuſtineri iuxta principia Scoti, pars negatiua, tamen eſt multò probabilior affirmatiua.*

Prima pars, quam admittunt omnes catholici, & puto eſſe de fide, probatur 1. ex eo quòd oppoſita opinio fuit vt erronea damnata, aduersùs Michaelem Baium, à Pio V. Gregor. XIII. & Vrbano VIII. vt retulimus diſp. 1. de iuſtific. ar. 7. Deinde ex Trid. ſeſſ. 6. c. 8. in quo dicitur, *Nihil eorum qui iuſtificationem præcedunt, ſiue fides, ſiue opera, ipſam iuſtificationis gratiam promeretur.* Cùm ergo ibidem can. 11. definiat, gratiam iuſtificantem eſſe habitualem, vt lococit. probauimus ar. 3. hæc non cadit ſub meritum, & ideo dicitur gratis à Deo dari, quamuis eius augmentum cadat ſub meritum eorũ, quæ deriuant ab ipſa, vt definitur eadem ſeſſ. can. 32. Tùm ſic, Quod fit ſine gratia habituali, non poteſt mereri ipſam gratiam. Ergò multò minùs gloriam, quæ eſt gratia conſumata. 3 Ex Aug. ibidem de gratia, & lib. arb. c. 6. ſuper illud, *Repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ* ad Timot. 4. inquit, *Cui redderet coronam iuſtus iudex, ſi non dediſſet gratiam miſericors pater? Quomodo eſſet corona iuſtitiæ, niſi præceſſiſſet gra-*

tia

tia, quę iuſtificat impium? 4. Inimicus Dei nihil poteſt apud ipſum mereri, cùm Deus odio habeat peccatorem. Ergo ad hoc vt mereatur, debet priùs iuſtificari per gratiam ſanctificantem, quæ eſt vnica cauſa formalis iuſtificationis, vt vidimus ex Trid; aliter ſimul eſſet amicus, & hoſtis: dignus pœna, & præmio æterno, quæ ſunt abſurda.

Probatur ſecunda, quia iuxta principia Scotiſtarum, quæ retulimus initio articuli, gratia per modum qualitatis intrinſecè inhærentis, non eſt ſimpliciter neceſſaria de poſſibili, eò quia putent per ſolam extrinſecam condonationem poſſe impium iuſtificari, & per ſolam extrinſecam acceptationem diuinam, poſſe impium fieri Dei amicum, & gratum. Ergo ſine gratia ſanctificante, per modum qualitatis intrinſecæ, poſſet homo mereri de condigno vitam æternam, vt infert Maſtrius loco ſupra citato, vbi ſubdit, *non alia ratione requiritur modo habitus gratiæ, niſi quia de facto ſic Deus ordinauit, hominem ſibi velle amicum, mediante tali habitu, quod tamquam conditio ad meritum de condigno neceſſarium eſt.* Vnde ſequitur, quod potuerit aliter ordinari. Atque adeo quia hæc ſententia admittitur in ſcholis, vt probabilis, & nullo modo repugnans noſtræ fidei, ideo eſt probabile, de poſſibili non eſſe ſimpliciter neceſſariam gratiam ſanctificantem, per modum qualitatis, intrinſecè inhærentis.

Pro-

Probatur tertia, ex oppoſitis fundamẽtis,quæ fusè retulimus diſp. 1. de iuſtif. ar. 8. quibus probauimus, gratiam ex natura ſua expellere peccatum,& ſanctificare hominem per modum cauſæ formalis intrinſecę. Ergo quia defectus talis cauſæ formalis, à Deo ſuppleri non poteſt, ſine gratia habituali, non poteſt homo fieri Deo gratus, vnde eius opera dignificentur, & proportionentur ad præmium ſupernaturale æternæ felcitatis. Quia tamen non eſt certum, quòd gratia producat hos effectus, vt cauſa formalis phyſica, ideo cùm defectus cauſæ formalis moralis, præſertim ſi eſſentialiter includat aliquod pactum, vel diuinam ordinationem (de quo infra) poſſit à Deo ſuppleri, hæc ſententia, licèt ſit multò probabilior,propter maiorem numerum ſequacium,& propter maius pondus rationum, non tamen excedit limites probabilitatis; & ideo relinquit etiam oppoſitam, in ſua probabilitate.

Vnde patet quid ſit dicendum de primo, & ſecundo argumento, quæ ſunt potiſſima fundamenta Scotiſtarum. Si enim nihil aliud intendunt, niſi probabilitatẽ ſuæ ſententiæ,illã vltrò concedo,dummodo probent quod ſupponunt. Si verò intendant reddere improbabilem noſtram opinionem, vt Scotiſtarum plures contẽdunt. Ad 1. Nego maiorem. Cùm enim remiſſio offenſæ, ſit pura remotio inimicitiæ, & placatio offenſi, aduersùs offen-

den-

Digitized by Google

dentem, non eſt formaliter amicitia, ſeu eius inductio. Ergo per hoc ſolùm, qui Deum offendit, non fit gratus, & amicus Dei, adeoque videtur requiri, ex parte ipſius, aliquod intrinſecum, per quod dignificetur, & fiat proportionatus, ad terminandam diuinam amicitiam, ſine quo non intelligitur intrinſecè mutatus, ex inimico in amicum Dei. Hoc autem aliud non poteſt eſſe, niſi gratia habitualis, per quam iuſtificatus fiat habitualiter, & permanenter ſanctus, defectibiliter tamen, dùm eſt in via, quia poteſt per nouum peccatum, incompoſſibile cum tali gratia, illam amittere, & redire ad ſtatum inimicitiæ, quamuis ipſa gratia habitualis, ſit ex parte ſua inamiſſibilis, & permanens. quatenus numquam recedit, niſi per aduentum peccati. Neque poteſt recurri ad acceptationem extrinſecam, prouenientem ex amore Dei. Cùm enim amor Dei, non ſit purè affectiuus, ſed etiam effectiuus bonitatis in obiecto, quam non inuenit, ſed facit, ideo videtur, non poſſe acceptare aliquem in amicum, niſi faciat intrinſecè talem, ponendo in illo formam aliquam, per quam dignificetur, & ſanctificetur, ita vt fiat dignus tali amore.

Ad 2. Nego minorem, cùm videatur fieri non poſſe, vt actus de ſe improportionatus præmio, fiat ab ipſo præmiante proportionatus. Nam vel hoc faceret, antequam fieret actus, per aliquod pactū

(de

(de quo infra) quo ſe obliget ad illum præmiandum, ac ſi eſſet proportionatus, vel poſtquam eſt factus, illum acceptando veluti proportionatum? Non primum, quia actus de ſe intrinſecè impræmiabilis, poteſt quidem eſſe occaſio, ſeu conditio, vt præmians, ex præuio pacto, rependat illi quod rependeret, ſi eſſet præmiabilis, non tamen quod rependeret, eſſet formaliter præmium, quod neceſſariò reſpicit operis condignitatem, ſed eſſet donum, vel retributio, ex pura præmiantis liberalitate proueniens. Quis enim dicat, quòd ſi princeps promittat alicui famulo adoptionem in filium, ſi petierit, ipſi petenti reddatur in præmiū petitionis, adoptio? Ergo per ſolam acceptationem extrinſecam, actus non eleuantur, ad eſſe de condigno meritorios præmij ſupernaturalis, cum quo nullam habent intrinſecam condignitatem. Neque poteſt recurri, ad eſſentialem depédentiam ab auxilijs actualibus; Nam cùm hæc nullam relinquant in operante formam intrinſecam dignificantem, dant quidem actibus ſupernaturalitatem, non tamen condignitatem ad præmium.

Ad 3. Nego conſequentiam, propter modò traditam rationem. Nec valet paritas de valore monetæ, primò quia valor monetæ debet fundari in pretio metalli; neque enim poteſt princeps conſtituere, vt moneta plumbea tanti valeat, quanti valet aurea. Vnde re-

retorquetur argumentum. Deinde ſi attendatur valor ex parte cunij, ſeu imaginis principis, vt aliquando accepimus factitatum, inprimis hic cunius inhæret monetæ, vnde probatur inhærentia gratiæ, vel alius formæ ſanctificantis. Et deinde ille cunius non dignificat metallũ, vel aliam materiam monetæ, ſed eſt veluti ſyngrapha, qua ſe princeps obligat, ad rependendum valorem, illam habenti, ceſſante neceſſitate; aliter hæc deputatio deſpoticè facta, eſſet tyrannica, & nõ legalis. Vnde patet falſitas antecedentis.

Ad 4. Dico, diutinam, & totalem obſeruantiam totius legis, cui correſpondet in præmium vita æterna, non poſſe fieri ſina gratia ſanctificante, vt patebit in loco. Et ratio prò nunc ſit, quia ſine illa, non durat pia affectio voluntatis ad hanc obſeruantiam.

Ad 5. Nego conſequentiam, & paritatem. Cùm enim ad bonum, quod eſt ex integra cauſa, plura requirantur, quàm ad malum, quod eſt ex ſingulis defectibus, ex potentia ad hoc, non valet arguere potentiam ad illud. Deinde dico, ex actibus bonis humanis, ſequi meritum, ſi adſint omnia requiſita, quæ non ſunt ſine gratia.

AR-

ARTICVLVS VI.

An meritum de condigno compleatur per pactum, ſeu diuinam promiſſionem de conferendo præmio?

VIdetur non compleri, vt propugnãt Scotus, Conradus, Caietanus, Gonet, Vaſquez, Turrianus, cum pleriſque Thomiſtarum, docentes, ad vltimatam rationem meriti, ſufficere ordinationem illam intrinſecam, quæ includitur in voluntate Dei efficaci, dandi gratiam habitualem, vt principium meriti ſupernaturalis, excluſa qualibet alia extrinſeca ordinatione, quæ habeatur per pactum, ſeu diuinam promiſſionem, retribuendi præmium operibus factis ex tali gratia.

Primò quia actus honeſti, pendentes ex gratia ſanctificante, quæ eſt ſemen gloriæ, de ſe, & ex natura ſua habent cõdignitatem ad gloriam, tamquam ad præmium ſibi proportionatum, vt ſupra, & alibi probauimus. Ergo non indigent vlla extrinſeca eorum ordinatione, quæ ſemper ſupponeret, & non daret vllam condignitatem ad præmium gloriæ.

2. Ita ſe habet malum ad pęnam, ſicut bonum ad præmium. Sed malum de ſe

ſe, vt eſt formaliter demeritum, exigit pœnam ſibi condignam, abſque vllo pacto extrinſeco. Ergo etiam bonum, vt eſt formaliter meritum de condigno, exigit præmium ſibi proportionatum, independenter ab omni pacto.

3. Nullum pactum obligat contrahẽtes, niſi illis innoteſcat, & acceptetur, vt patet in operarijs, reſpectu conducentis. Sed huiuſmodi pactum nobis non innoteſcit, adeoque non potuit acceptari. Ergo ſi illud eſſet neceſſarium ad merendũ, non poſſemus facere opera meritoria, quæ proinde à fortiori non poſſent à Deo nobis præcipi, niſi manifeſtato, & acceptato hoc pacto; aliter nobis præciperentur impoſſibilia, quod eſt abſurdum.

4. Opera Chriſti merebantur infinitũ præmium, eò quia eſſent infiniti valoris. Deus autem numquam illi promiſit infinitum præmium, quod de facto non reddidit; aliter non ſtetiſſet promiſſis, quod illi repugnat Ergo non habuerunt condignitatem ad præmium, ex vllo pacto, ſed ex ſola gratia habituali, quæ illa dignificabat.

5. Qui aliquid præcipit, quod cedat in ſuum obſequium & bonum commune, tenetur adimplenti præceptum, per honeſtam operis exhibitionem, rependere præmium proportionatum, excluſa qualibet illius promiſſione. Sed Deus præcipit nobis obſeruantiam ſuarum legum, vergentem in eius obſequium, & bonum

vni-

vniuerſi. Ergo tenetur ex iuſtitia, ſecluſa qualibet promiſſione, rependere obſeruantibus, præmium vitæ æternæ, vt illis proportionatum.

6. Gratia habitualis de ſe, abſque vllo pacto, facit filios adoptiuos Dei, eiuſque hęredes. Ergo opera honeſta, facta dependenter à tali gratia, vtpote filij, merentur de condigno vitam æternam, non ſolùm per modum hæreditatis, ſed etiam per modum præmij, & mercedis, cùm ipſa gratia adoptionis, ſit acceptatio ad gloriam, vt dicitur Io. 4. *Aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons vitæ ſalientis in vitam æternam.*

Concluſio, *Non ſufficit ad plenam, & conſumatam perfectionem meriti de condigno, ordinatio intrinſeca, quæ habetur per ipſam voluntatem dandi gratiam habitualem, ſed inſuper requiritur ordinatio extrinſeca, conſiſtens in pacto, ſeu diuina promiſſione, non quidem vt opera meritoria acquirant condignitatem ad gloriam, ſed vt inducant in Deo obligationem ex iuſtitia, illam vt præmium reddendi.*

Probatur prima pars, quam tuentur communiter Scotiſtæ, cum Suario, Beccano, Amico, Io. à S. Thoma, Tannero, Lezzana, Auerſa, Hurtado, Gibbone, & alijs, Primò quia meritum de condigno non cenſetur habere ſuam plenam, & vltimatam perfectionem, niſi vltra ſuam proportionem, & condignitatem ad præmium, habeat etiam vim obligandi ex iuſtitia

præmiantem ad rependendum præmium, ita vt ſit iniuſtus, niſi rependat. Sed nullum noſtrum meritum, acquirit hanc vim per ſolam intrinſecam ordinationem ad præmium. Ergo hæc non ſufficit, ad plenam, & conſumatam perfectionem meriti de condigno. Conſequentia eſt euidēs. Maior eſt certa, aliter meritum de congruo non diſtingueretur à merito de cōdigno. Minor probatur, hæc ordinatio ideo dicitur intrinſeca, quia *inuoluitur* intrinſecè in voluntate diuina, conferendi gratiam ſanctificātem, tamquam principium dignificans hominem, vt poſſit de condigno mereri vitam æternam. Sed ex hoc nihil aliud ſequitur, niſi quòd homo poſſit facere opera ex ſe condigna, & proportionata præmio vitæ æternæ. Ergo non ſequitur, quòd poſſit per illa inducere veram obligationem in Deum, qua teneatur ex iuſtitia, reddere in præmium, ſeu mercedem vitam æternam, cùm poſſit Deus exigere ex alijs titulis, nempe creationis, conſeruationis, redemptionis, dominij &c. omnia hæc opera, cum ſua condignitate ad præmium, abſq; eo quòd teneatur illud rependere. Ergo hæc ordinatio non ſufficit, ſed requiritur aliquid aliud, vt mox patebit.

2. Sola proportio medij ad finem, non dicit proportionem iuſtitiæ ad eius aſſecutionem. Si enim aliquis per integram diem fodiat vineam alterius, non conductus ab illo, quãuis ponat laborē proportio-

tionatum mercedi, per modum medij ad finē, non tamen obligat dominum vineæ, ad illam retribuendam, quamuis dederit commodum illam fodiendi, eò quia nullum cum illo interceſſerit pactum, illam rependendi, cum tali titulo oneroſo, vt omnes fatentur, & patet ex illa parabola Chriſti Domini, relata Matth 20. *Cōuentione facta cū operarijs ex denario diurno, miſit eos in vineam ſuam.* Et deinde, *Cum ſerò factum eſſet, dicit dominus procuratori, voca operarios, & redde illis mercedem.* Ergo ad proportionem iuſtitiæ, non ſufficit ordinatio interna, per quam ſola habetur proportio medij ad finem.

Probatur ſecunda pars, Primò ex Triden. ſeſſ. 6. c. 16. in quo dicitur, *Benè operantibus vſque in finem, & in Deo ſperantibus, proponenda eſt vita æterna, & tamquàm gratia filijs Dei, per Chriſtum miſericorditer promiſſa, & tamquam merces;, ex ipſius Dei promiſſione, bonis ipſorum operibus, & meritis fideliter reddenda* Cui concinunt Concilia Moguntinum in conf. fid. c. 8. & Senonenſe decreto 16. Ergo merita iuſtorum, non haberent infallibilem connexionem cum prȩmio vitæ æternæ, niſi accederet promiſſio Dei.

2. Ex Aug. qui ſuper Pſal 83. examinans dictum Apoſtoli ad Timot. 4. *Repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ &c.* inquit, *Quid tibi reddet, niſi quod tibi debet? Vnde tibi debet? Quid ei dediſti? Quis prior dedit ei, & retribuetur? Debitorem Deus ipſe ſe fe-*

cit, non accipiendo, ſed promittendo. Et cõcludit. *Non ei dicitur, redde quod accepiſti, ſed redde quod promiſiſti.* Ergo noſtra bona opera, facta ex gratia, non conſtituerēt nobis Deum debitorem, niſi debitum fundaretur in eius pacto, ſeu promiſſione. Conſulantur articuli primus, & 2. diſp.18. de Deo vno, nam quoad hoc, nihil erit deſiderandum.

3. Ex ep. catholica Iacobi c.1. *Beatus vir, qui ſuffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromiſit Deus diligentibus ſe.* Et ex quãplurimis alijs locis ſacrorum codicum, in quibus aſſeritur, Deum promiſiſſe vitam æternam, bene operantibus cum eius gratia. Ergo de hoc videtur debitari non poſſe. Optimè igitur D.Tho.1.2. q.114. ar.1. docet, *Meritum hominis apud Deum eſſe non poteſt, niſi ſecundum præſuppoſitionē diuinæ ordinationis.* Et ibidem ad 3. *Quia actio noſtra non habet rationem meriti, niſi ex præſuppoſitione diuinæ ordinationis, non ſequitur quòd Deus efficiatur ſimpliciter debitor nobis, ſed ſibi ipſi, inquantum debitum eſt, vt ſua ordinatio impleatur.* Hoc autē non poteſt intelligi de ordinatione intrinſeca, quæ adæquatè impletur ab ipſo, dignificando per ſuam gratiam noſtra merita, & tribuendo principium merendi. Ergo debet intelligi de ordinatione extrinſeca, per quam, vt præſuppoſitam ad collationem gratiæ, nos dignificantis, ipſum ſe obligat, ad premianda

ope-

opera, quæ in nobis, & nobiſcum ab illa deriuant,

4 Gloria eſt ſub dominio ſtrictiſſimæ proprietatis ſolius Dei Ergo nemo poteſt illam emere pretio meritorum, niſi priùs ſtatuerit illam facere venalem, & determinauerit pretium, quo ematur, vt accidit etiam in humanis, cùm nullus poſſit emere domum alterius, etiam pretio excedente eius valorem, niſi priùs ipſe ſtatuerit illam vendere, & tali emptori. Sed Deus per ſolam ordinationem intrinſecam, non facit omnibus venalem ſuam gloriam, vt patet in iuſtis detentis in purgatorio, qui licèt habeant gratiam, & per illam benè operentur, non tamen merentur. Ergo requiritur ordinatio extrinſeca, per quam determinentur viatores ad merendum, eorumque opera meritoria ordinentur ad gloriam.

Dices, ordinatio intrinſeca, incluſa in voluntate dandi gratiam, vt eſt principiũ merendi, eſt voluntas efficax, dandi gloriam, vt præmium meritorum. Ergo quia Deus tenetur illam implere, facta ſolutione meritorum, per illam ſolam facit ſe debitorem, ad illam rependendam. Reſpectu autem detentorum in purgatorio, quia dat ſolùm gratiam, vt eſt principiũ adoptionis, ideo per illam mereri non poſſunt, non verò quia extrinſecè non ordinentur ad gloriam.

Nego conſequentiam, quoad poſtremam partem. Et ratio eſt, quia intantùm

Deus confert gratiam, vt principium merendi, inquantum facit venalem gloriam viatoribus, pretio meritorum, aliter non conferret principium merendi. Ergo quia ordinatio incluſa in voluntate dandi gratiam, eſt executio alterius voluntatis antecedentis, vendendi ſuum regnum, quæ habet rationem intentionis, ideo poſterior voluntas accipit eſſe, & efficaciam à prima, qua non præſuppoſita, non daretur, cùm ſit de ratione voluntatis executiuæ, præſupponere ſemper intentiuam, à qua deriuet. Atq; adeo quia in voluntate intentiua, includuntur ſoli viatores, ideo illi ſoli mereri poſſunt, excluſis beatis, & detentis in purgatorio. Sicut enim Princeps non daret arma duci, vt medium ad repellendos hoſtes, niſi haberet voluntatem, repellendi per illum hoſtes, ita Deus non daret homini medium ad merendam gloriam, niſi antecedenter haberet voluntatem, dãdi gloriam pretio meritorum, vt acutè obſeruauit D. Thomas lòco ſupra citato, cum docuit, ad meritum præſupponi diuinam ordinationem, quæ non poteſt eſſe ordinatio, incluſa in collatione gratiæ, quæ concomitatur, & non præſupponitur, ſed debet eſſe prior ipſa collatione gratiæ.

AR-

Digitized by Google

ARTICVLVS VII.

Soluuntur obiecta?

AD 1. Nego conſequentiam. Quamuis enim merita ex ſe. & ex natura ſua habeant proportionem, & condignitatem ad gloriam, quam accipiunt, ex gratia ſanctificante, quia tamen illam habent veluti in actu primo remoto, ideo ad hoc vt reducantur ad actum primum proximum condignitatis, requiritur illa ordinatio extrinſeca, quam adſtruximus, eo modo quo pecunia ſufficiens, ad æquandum valorem domus alienæ, non reducitur ad proximam condignitatem, talis domus vt emendæ, niſi priùs dominus domus, illam ordinet ad venditionẽ, ita nec merita noſtra ſunt proximè proportionata, ad emendum regnum Dei, niſi hic priùs illud ordinet ad venditionem per tale pretium Habemus euidentem inſtantiam in meritis Chriſti. Nam licèt eſſent ex ſe infiniti valoris in actu primo, ad ſatisfaciendum prò nobis, tamen in actu ſecundo numquam ſatisfeciſſent, niſi Deus cum illo pepigiſſet, ſe illa acceptaturum, in ſatisfactionem omnium illorum, ad quos ipſe Chriſtus illa dirigeret, ſine qua ordinatione, & pacto fuiſſent ſolùm in ſua condignitate remota, & ſufficienti, non tamen in proxima, &

Digitized by Google

efficaci. Idem proportionaliter dico de noſtris meritis, vt videre eſt diſp. 4. de Incar. art. 1. vbi ex profeſſo egimus de hoc.

Ad 2. Nego maiorē, 1. quia peccatum obligat ipſum peccantem ad pœnam, quē conſtituit ipſius debitorem; & meritum obligat Deum ad præmium reddendum operanti. Non eſt autem abſurdum, quòd aliquis ſe conſtituat alteri debitorem, ad ſubeundam pęnam, abſque eius ſpeciali directione, talis delicti ad pęnā, quia datur lex vniuerſalis, vt omnis delinquens puniatur, cui liberè ſe ſubmittit ipſe peccans. Eſſet autem abſurdum, quòd aliquis, abſque eius conſenſu, obligaret alium, ad aliquid ſibi dandum. Ergo niſi ſupponatur, quòd ille conuenerit cum alio, vt quoties tale opus ageret, daret mercedem, etiam poſito tali opere, non obligaretur ad mercedem. Reſpondeo ſecundo, negando minorem, Primò quia illa lex vniuerſalis, vt omnis peccās puniatur, eſt facta à Deo, vt omnium domino, & iudice Sed illa dirigit, ſeu ordinat peccatum ad pęnam. Ergo intātum peccatum, eſt formaliter demeritū, exigens pœnam, inquantum ita fuit à Deo ordinatum; & ideo inquit Apoſtolus, *peccatum non agnoſcerem, niſi lex eſſet, & virtus peccati lex.* Aliter non eſſet verum, quòd omne peccatum ſit contra legem æternam Dei, vt docet Aug. Vnde retorquetur argumentum. An autem de-

detur peccatum, quod ſit intrinſecè, & & eſſentialiter tale, etiam præciſo ordine ad legem, examinabitur ſuo loco. Deinde dico, damnatos aſſiduò peccare, vt omnes fatentur, non tamen mereri nouā pœnam. Nonniſi quia ad illa non extenditur ordinatio ad pœnam, quæ ſolos cōplectitur viatores. Ergo ita malum extrinſecè ordinatur ad pœnam, ſicut bonum ad præmium.

Ad 3. Nego minorem. Primò quia eſt inditum lumine naturæ, quòd benè operantes in via, ſint præmiandi in termino, & malè agentes, puniendi, vt ipſi etiam æthnici, vſque ab initio mundi, cōceſſere. Quamuis enim errarent in ſtatuendis locis, & modis hæc exequendi, tamen omnes in hoc conuenere, & ideo admittebantur paſſim elyſium, & tempe prò bonis, & cocytū, & tartarum prò malis, vt videre eſt diſp. 1. de beat. ar. 1. Deinde fides de Deo remuneratore, eſt ōmnibus neceſſaria neceſſitate medij, vt dicitur Ad Heb. 11. Ergo omnes tenentur credere, Deum ſtatuiſſe, reddere vnicuique iuxta ſua opera, quod eſt formaliter ordinare noſtra opera, ad præmium, ſeu pœnam. Atque adeo poſſunt quidem aliqui ignorare hanc ordinationem explicitè, & ſub hoc nomine, non tamen ſimpliciter, & quoad ſubſtantiam, niſi ex condicto velint ignorare, vt faciunt illam negantes, tamquam de facto exiſtentem, & neceſſariam.

Ad 4. Nego minorem. Quamuis enim Deus de facto non promiſerit præmium infinitum, abſolutè reddendum, tamen promiſit ad Chriſti petitionem, ſe obligando ad reddendum quidquid peteret, ſumendo prò menſura pręmij illi reddēdi, non ſuam, ſed Chriſti voluntatem, vt probauimus diſp. 4. de Inc. ar. 1. Quia ergo Chriſtus numquam petijt præmium cathegorematicè infinitum, ideo numquā obtinuit, non ex defectu condignitatis ad ipſum, ex parte ſui, ſeu defectu promiſſionis ex parte Dei, ſed ex ſola ſua voluntate, qua ſtatuit ſibi ſufficere præmium ſolùm ſynchathegorematicè infinitum, ita vt quolibet obtento præmio, ſemper maneret dignus maiori, & maiori in infinitum, ad quod obtinendum ſufficeret eius petitio, & directio ſuæ voluntatis. Ex quibus deducitur, ad plenam, & vltimatā perfectionem meritorum Chriſti, fuiſſe neceſſarium diuinum pactum, vt expendimus loc. cit. ſine quo non habuiſſent ſummam efficaciam, obtinendi in actu ſecundo, quidquid Chriſtus vellet, & peteret.

Ad 5. Nego maiorem. Cùm enim præceptum, non poſſit fieri, niſi ſubditis, poteſt illos obligare, etiam ſine ſpe præmij, vt per legum obſeruantiam, promoueant bonum communitatis. Quia ergo Deus eſt ſummus omnium dominus, poſſet nos obligare ad obſeruantiam ſuarum legum, ad euadendas pęnas trāſ-

greſ-

greſſorum, abſque vlla ſpe præmij, & ad promouendum bonum vniuerſi. Præceptum igitur, vt formaliter tale, non inducit obligationem præcipienti, ad pręmiãdos illud implentes. Atque adeo hæc obligatio non poteſt haberi, niſi ex pacto, vel promiſſione ipſius præcipientis. Neque obſtat, quòd res præcepta, cadat in cultum, & obſequium ipſius præcipientis. Nam domino debetur obſequium famulorum, ratione dominij in illos. Ergo poteſt ab illis exigi, abſque obligatione præmiandi obſequentes, vt plerumque faciunt Principes terreni.

Ad 6. Nego conſequentiam, quoad ſecundam partem. Et ratio patet ex dictis ſupra, quia videlicèt gratia habitualis de ſe, dignificat quidem per modum adoptantis in filium Dei, cui correſpondet gloria, per modum hæreditatis, & non per modum præmij, & mercedis, non autem dignificat per modum principij merendi, meritis Deum obligantibus, ad retribendum præmium, niſi detur ex ordinatione illa extrinſeca, quam ad hoc ſtatuimus neceſſariam. Neque locus allatus ex Io. 4. quidquam probat contra hoc, cùm potiùs probet oppoſitum. Siquidem ſi gratia Chriſti, eſt fons vitæ ſalientis in vitam æternam, trahit illam per modum hæreditatis, ſicut riuulus trahitur à fonte, quod non facit ad intentum arguentis.

Dices, filio bene operanti, ſtricto iure

debetur hæreditas, etiam per modum premij, & mercedis. Ergo cùm per gratiam reddamur filij Dei, ſtricto iure nobis debetur hæreditas Dei, etiam per modum præmij, ſi bene ex illa operemur, abſque vlla alia ordinatione actuali, reſpicienꝫ te noſtra bona opera, cùm ſufficiat ordinatio habitualis, incluſa in ipſa gratia.

Nego antecedens quoad ſecundam partem. Et ratio eſt, quia cùm pater poſſit exigere alijs titulis, nempe naturalis ſubiectionis, & gratitudinis, omnia bona opera filij, hæc non ſunt meritoria apud ipſum, niſi ex præuia conuentione, cum ipſo, quamuis ex ſe habeant condignitatem, & proportionem cum præmio hæreditatis, vt patet ex eo, quòd ſi filio, naturali, & ciuili iure, non deberetur hæreditas, poſſet pater illam non reddere, abſque vlla iniuſtitia. Ergo non obligatur ad illam tradendam ex operibus filij, per modum præmij, præciſo pacto, ſed ſolùm iure paternitatis, per modum hæreditatis, eò quia opera filij, præciſo pacto, dant illi ſolùm ius remotum, & in actu primo, non tamen proximum, & immediatum, vt dictum eſt. Hoc autem multò magis valet reſpectu Dei, qui tot alijs titulis poſſet exigere à ſuis filijs, hæc opera cum tota ſua condignitate, adeòque niſi ipſe ſe obliget pacto, vel promiſſione, poteſt illa acceptare, vt ſibi grata, non autem vt obligantia ad præmium, ſed vt ſibi aliunde debita, per modum ſolutionis.

Vt-

Vrgebis, Deus ex vi acceptationis habitualis, incluſæ in collatione gratiæ, ita acceptat perſonam adoptatam, eiuſque opera, vt præmio condigna; vt ſe obliget, ad talia opera præmianda. Ergo non requiritur alia acceptatio.

Nego antecdens, propter rationem toties inculcatam, nempe quia licèt opera ex gratia elicita, habeant ex ſe condignitatem ad præmium vitę æternæ, vnde illis reſultat ſolùm ius remotum, & in actu primo ad tale præmium, non tamen habent ius proximum, & in actu ſecũdo, per quod illis reſultet vis actualis obligans Deum ex iuſtitia ad retribuendum, per quod ſolum complentur, in eſſe meritoria in actu ſecundo proximo, niſi accedat alia acceptatio actualis, quæ nihil eſt aliud quàm pactum, ſeu promiſſio ipſius Dei, vt optimè explicat Maſtrius hic diſp. 3. nu. 91. Quare quando dicitur, quòd ex ſola gratia, opera iuſti accipiunt condignitatem, verum dicitur, ſi nomine condignitatis, intelligatur proportio, & æqualitas cum præmio, non tamen verum dicitur, ſi intelligatur vis inducens obligationem in Deo, ad rependendum ex iuſtitia, totum illud, cui proportionantur, quam ſolùm habent ex pacto, ſeu promiſſione diuina, quæ dicuntur acceptatio actualis, ad diſtinctionem alterius, quæ includitur in gratia habituali, quam proinde vocamus acceptationem habitualem.

Vn-

Vnde patet, quomodo ſit intelligenda illa pars concluſionis, in qua dicimus, opera meritoria non acquirere condignitatem ad præmium, ex pacto, ſeu promiſſione, nempe debet intelligi de condignitate proportionis, non verò de condignitate iuſtitiæ, vt probauimus ſupra.

ARTICVLVS VIII.

Abſoluitur materia per varia quæſita?

QVæres I. An meritum augeatur ex eo, quòd Deus nobis conferat eius principium, ex meritis Chriſti? Reſpondeo affirmatiuè cum Suar. Caiet. Amico, Maſtrio, Coninch, Lezzana, & alijs, aduersùs Vaſq. Ripaldam, Arriagam &c. Primò quia dicitur ad Coloſſ. 1. *In ipſo complacuit omnem plenitudinem inhabitare, & per eum reconciliare omnia in ipſum, pacificans per ſanguinem crucis eius, ſiue quæ in terris, ſiue quæ in cælis ſunt.* Et in Triden. c. 8. ſub med. *Omnis gloriatio noſtra in Chriſto eſt, in quo meremur, in quo ſatisfacimus, facientes fructus dignos pęnitentiæ, qui ex illo vim habent: ab illo offeruntur patri, & per illum acceptantur à Patre.* Ex quibus deducitur, non ſolùm Chriſtum meruiſſe omnē gratiam, vt mereri, & ſatisfacere poſſimus, , ſed etiam ipſum offerre ſuo æterno

no Patri omnia noſtra opera meritoria, illumque aſſiduò rogare, vt acceptentur. Certum eſt autem apud omnes, munus oblatum alteri per perſonam illi gratã, & dignitate cõſpicuam, reddi multò gratius, & acceptius, quàm ſi redderetur per aliam viliorem, & non adeo gratam. Ergo cùm Chriſtus ſit in ſe digniſſimus, vtpote qui in ſe continet plenitudinem gratiarum, & acceptiſſimus Patri, multum dignitatis acquirunt noſtra merita, ex hoc quòd per Chriſtum fuerit nobis collatum ipſorum initium, & quòd ipſa merita per ipſum offerantur æterno Patri. Quare ly *ex illo vim habent*, non ſolùm debet exponi de vi, quam recipiunt ex gratia, vnde fluunt, quam ipſe nobis obtinuit, ſed etiam de vi, quam accipiunt ex hoc, quòd ab illo dignificentur, dùm factus mediator inter nos, & Deum, illa offert æterno Patri. Vnde ſequitur, quòd hæc eadem numero opera, facta ex gratia, collata independenter à meritis Chriſti, quamuis cætera ſint omninò paria, eſſent apud Deum minùs grata, & minoris valoris, quàm ſint de facto, vel quia obtinerent minus præmium, vel quia Deum obligarent ad illud, ex iuſtitia minùs rigoroſa.

Neque obſtat, quòd gratia habbitualis, in vtroque ſtatu ſupponatur æqualis, & quòd merita ſupponantur ęqualia. Siquidem hoc eſſet verum, ſecundùm ęqualitatem phyſicam, non autem ſecundùm mo-

ralem, eò quia per relationem ad merita Chriſti, accipiunt quandam ſpecialem dignitatem, & valorem, quos non haberent in alio caſu. Et hæc eſt ratio, cur Eccleſia omnes ſuas orationes dirigat ad Deum, per Chriſtum Dominum noſtrum, vt videlicet per tale medium dignificentur.

Quæres 2. An poſſent abſolutè loquēdo, dari merita condigna vitæ æternæ, ſine gratia habituali? Reſpondeo affirmatiuè, cum Suar. Caietano, Gibbone, &c. aduersùs Durandum. Primò quia Chriſtus D. fuit immediatè ſanctificatus per ſanctitatem ſubſtantialem increatam, ſubſtantialiter vnitam eius humanitati, ex qua eius opera dignificabantur, ad cōdignè nobis merendam vitam ęternam. Ergo non fuit illi ſimpliciter, & abſolutè neceſſaria gratia habitualis, vt probauimus diſp. 8. de Inc. ar. 1. Deinde quia viſio beatifica, & quælibet alia ſanctitas, diuerſæ ſpeciei à gratia habituali, (vt eſſent gratiæ intrinſecæ, & habitus ſupernaturales per ſe infuſi) ſanctificat animā, & reddit hominem Deo gratum, eiuſque amicum, & filium adoptiuum. Ergo ſufficit, ad dignificanda eius opera, in ordine ad vitam æternam, ſi coniungatur cum reliquis requiſitis.

Quæres 3. An meritum creſcat, ex maiori ſanctitate operantis, ita vt augmentum graduale ipſius, proportionetur augmento graduali gratiæ habitualis? Re-

ſpon-

Digitized by Google

ſpondeo negatiuè, cum Vaſq. Cano, Amico, Gibbone, & alijs, aduersùs Valenciam, Suar. Lugo, Ouiedo, & Ripaldam. Primò quia paſſim legitur in ſacris codicibus, quòd Deus reddet vnicuique, iuxta opera ſua. Ergo quantitas gradualis meriti, ſequitur ſolam quantitatem operis moraliter boni, ſuppoſitis alijs requiſitis. Deinde quia demeritum non ſumit ſuam imperfectionem, & malitiam gradualem, ex graduali imperfectione morali, ſeu grauitate operantis; aliter ſceleſtus vt octo, non poſſet peccare per deſcenſum, niſi vt octo, quo admiſſo, omnia eius peccata eſſent æqualia, & tantum peccaret fornicando, quantum adulterando, & inceſtuando, quod eſt abſurdum. Ergo neque meritum ſumit ſuam perfectionem gradualem, ex graduali perfectione gratiæ; aliter ſequeretur idẽ abſurdum, nempe quòd habens gratiam, vt ſex, non poſſet operari per deſcenſum niſi vt 6., adeòque in quolibet actu fortitudinis e.g. etiam vt vnum, mereretur, vt 6. Præterea ſanctus vt 6. minimo actu virtutis moralis, plus mereretur, quàm ſanctus vt duo, per actum heroicum charitatis, quæ videntur incredibilia.

Neque obſtat, quòd Chriſtus in quolibet opere, licet minimo, mereretur infinitè. Siquidem eius opera dignificabantur, à ſanctitate ſimpliciter infinita, quoad ſubſtantiam, non autem quoad eius ſolam perfectionem indiuidualem, & gra-

dua-

dualem: Maior autem ſanctitas eſſentialis, & quoad ſpeciem auget meritum, vt diximus in primo queſito. Vnde ſequitur, qualitatem meriti deſumi, ex perfectione ſpecifica, & eſſentiali gratiæ, quantitatem verò ex quantitate bonitatis moralis ipſius operis, ſecundùm obiectum, finem, & circumſtantias. Quia tamen huiuſmodi argumēta poſſunt probabiliter ſolui, vt videre eſt penès Maſtrium hic diſp. 3. q. 8. nu. 266. ideo puto, etiam ſententiam oppoſitam eſſe valde probabilem, adeòque poſſe vtramque problematicè propugnati, niſi fortè in tr. de gratia, re meliùs conſiderata, vnam alteri præponamus, cùm prò nunc vtrinque grauiſſimæ, eæque ferè inſolubiles, appareant difficultates.

Quæres 4. An actus virtutum moralium acquiſitarum, elicitus ex gratia habituali purè concomitanti, ſit meritorius vitæ æternæ? Affirmant Vaſq. Amicus, & aliqui alij. Contrà verò negant Suar. Bellarminus, Coninch, & communiter Thomiſtæ, quibus prò vtraque parte non deſunt validæ rationes, adeo vt vtramque ſententiam probabilem reddant. Tamen puto, eſſe multò probabiliorem ſententiam Thomiſtarum, Primò, quia licèt hi actus eſſent ab homine iuſto, in quo eſſet gratia ſanctificans perſonam, non tamen eſſent ex gratia, dignificante eius actus, ad quos nullo modo concurreret; adeòque hi actus ſolū habitualiter ordina-

narentur in Deum, tamquam ad vltimum finem ſupernaturalem. Sed hæc ordinatio non ſufficit ad meritum, vt expreſsè dicitur à D. Tho. in 1. d. 40. q. 1. ar. 5. ad 6. docente, *Non ſufficit omninò habitualis ordinatio actus in Deum, quia ex hoc quod eſt in habitu, nullus meretur, ſed ex hoc quod actu operatur*. Non tamen ſemper requiritur ordinatio actualis formalis, cùm plerumque ſufficiat virtualis (quatenus videlicèt ordinatur, virtute actus præcedẽtis charitatis, non retractati per actum oppoſitum, & non interruptum per varios actus diſparatos, longo tempore cõtinuatos, ratione quorum, illa ordinatio, continuetur moraliter, cum tali actu virtutis, de quo eſt ſermo) vt pergit ibidem D. Thomas, *Nec tamen oportet, quòd intentio actualis, ordinans in finem vltimum, ſit ſemper coniuncta cuilibet actioni, quæ dirigitur in aliquem finem proximum, ſed ſufficit, quòd aliquando actualiter omnes illi fines in finem vltimum referantur, ſicut fit, quando aliquis cogitat, ſe totum ad Dei dilectionem dirigere, tunc enim quidquid ad ſeipſum ordinat, in Deum ordinatum erit.*

Deinde quia gratia purè concomitãs, ſe habet per accidens, ad principium per ſe actus boni moralis, ſicut muſica ad ædificationem, & peccatum mortale, exiſtens in operante bona opera ordinis naturalis, vt ſunt eleemoſyna, temperantia &c. niſi influat ad illa. Sed muſica non dignificat ædificationem, ſicut peccatum

non

non vitiat eleemoſynam; aliter omnia opera peccatorum eſſent peccata, quod vt erroneum damnatur à Trid ſeſſ 6. can. 7. Ergo neque gratia purè concomitans, dignificat actus virtutum acquiſitarum. Et hæc eſt ratio, cur aſſiduò ſacræ paginæ hortentur, vt opera hæc referantur ad Deum, vt 1. Cor. 10. *Omnia in nomine Chriſti facite*, vt videlicèt ſint meritoria.

Quæres 5. An actus virtutum per ſe infuſarum, à ſolo imperio charitatis habeant, quòd ſint meritorij de condigno vitæ æternæ? Reſpondeo negatiuè, cum Suario, Vaſquio, Caietano, Ouiedo, Gibbone &c. Primò quia omnes talium virtutum actus, habent omnes conditiones requiſitas ad meritum; ſunt enim ex ſe ſupernaturales quoad ſubſtantiam, propter eſſentialem dependentiam ab habitibus ſupernaturalibus per ſe infuſis, & à motiuo ſupernaturali: ſunt hominis iuſti, & viatoris, & referuntur in Deum, vt auctorem ſupernaturalem: ſunt veri actus, & liberi, dignificati à gratia ſanctificante, quæ non ſolùm dignificat ſubiectum, ſed etiam eius operationes: demum ſunt ab ipſa gratia ſanctificante, quæ non ſe habet ad illos purè concomitanter, vt diximus de actibus virtutum acquiſitarum, ſed eſt principium per ſe radicale illorum. Cum enim habitus per ſe infuſi, ſint eius proprietates, emanant ab illa, quæ proinde vtitur illis vt medijs, ſeu inſtrumentis ad operandum, eo mo-

modo quo eſſentia vtitur ſuis proprietatibus. Ergo vt effectus illius mediati, ſunt ex ſe proportionati, & condigni vitæ æternæ, non ſolùm quoad accidentalẽ, ſed etiam quoad eſſentialem beatitudinẽ, & fruſtra ad illos requiritur imperium charitatis, etiam virtuale.

Deinde hęc veritas patet ex Trid-ſeſſ. 6.c.16. & can.32, in quibus expreſsè dicitur, vitam æternam eſſe reddendam, vt mercedem bonis iuſtorum operibus, nulla facta mentione, dependentiæ ab imperio, ſiue formali, ſiue virtuali charitatis. Neque obſtat, quod diſp 2. de iuſtif. ar.5. dixerimus, gratiam habitualem eſſe realiter identificatam cum habitu charitatis; vnde aliqui inferunt, nullum eſſe poſſibilem actum virtutum per ſe infuſarum, qui non procedat ab imperio charitatis, ſaltem virtuali, quo omnia ſibi connexa dirigat ad vltimum finem. Siquidem ex tali identitate, infertur quidem vnitas influxus vtriuſq; habitus, per modum vnius principij radicalis, in actus virtutum infuſarum, non tamen eorum imperium, cùm poſſit operans cum illis, moueri ad volendos hos actus, ex ſola eorum bonitate, & honeſtate ſupernaturali, in quibus cognitis per fidem theologicam, vt de condigno meritorijs vitæ æternæ, ſiſtat, nec illos actu referat per charitatem in Deum, vt vltimum finem. Neque enim neceſſitas influxus principij radicalis, arguit neceſſita-

tem

tem eius imperij ad operandum. Quod ſi influxus charitatis, confundatur cum eius imperio, ſaltem virtuali, vtique illum admitto vt neceſſarium, cum D. Th. 1.2. q. 114 ar. 4 docente, *Meritum vitæ æternæ primò pertinet ad charitatem, ad alias autem virtutes ſecundariò, ſecundùm quod earum actus à charitate imperantur*, quatenus eliciuntur ab illam habente, loquẽdo de habituali. Quia tamen nomine imperij intelligimus eius actum, vel formalem, ſi ſit formale, vel præteritum, ſi ſit virtuale, ideo diximus ſine tali imperio, actus virtutum per ſe infuſarum eſſe de ſe formaliter meritorios, non excluſo influxu ipſius habitus charitatis. Immo ſuperaddo, non ſolùm huiuſmodi actus futuros magis meritorios, ſi fierẽt ex imperio charitatis, ſed plerumque ex illo fieri, cùm quæſtio procedat ſolùm de poſſibili, & in caſu ſeparationis ab illo. Et ideo diximus in quæſito, an hi actus à ſolo imperio charitatis, habeant eſſe meritorios de condigno vitæ æternæ, quoad ſubſtantiam?

Dices, in caſu ſeparationis, hi actus non referrentur in Deum, vt finem ſupernaturalem, eò quia obiectum formale talium virtutum, ſit aliquod creatum. Ergo non eſſent meritorij. Nego antecedens. Quamuis enim immediatè, & proximè tenderẽt in obiecta talium virtutum, vt eſt honeſtas, ſeu bonum temperantiæ, fortitudinis &c. tamen mediatè,

tè, & habitualiter Deum reſpicerent, vt finem ſupernaturalem, quatenus videlicèt omnes actus vitæ ſupernaturalis, ex natura ſua ordinantur ad Deum, vt finem totius ordinis ſupernaturalis, cùm non poſſint reſpici media talis finis, vt media, niſi reſpiciatur finis, & hoc ſufficeret, vt eſſent meritorij, vt expreſſis verbis docet D. Thom. in 2. d. 40. q. 1. ar. 5. in fine corporis.

ARTICVLVS IX.

Alia quæſita de obiecto meritorum.

QVæres 6. An noſtra merita extendantur ad primam gratiam? Reſpondeo, nullum poſſe ſibi, ſiue de condigno, ſiue de congruo mereri primam gratiam, poſſe autem alteri. Primã partem probauimus diſp. 4. de prædeſt. art. 6. & hic ar. 5. & 6 & ſecundam probauimus in eadem diſp. ar. 4. Ergo nihil addendum puto.

Quæres 7. An poſſit peccator mereri ſibi gratiam iuſtificantem? Reſpondeo negatiuè, ſi loquamur de merito de condigno. Rationem attulimus hic ar. 5. vbi probauimus, ad tale meritum, reſpectu boni ſupernaturalis, requiri ſtatum gratiæ ſanctificantis. Si verò loquamur de alio merito, quod dicitur de congruo, reſpondeo affirmatiuè, cum Ferrarienſi, Vega,

ga, Suar. Vaſq. Toletano, Gibbone, & alijs. Primò quia Auguſt. ep. 105. docet, *Neque ipſa remiſſio peccatorum, ſine aliquo merito eſt, ſi fides hanc impetrat, neque enim nullum eſt meritum fidei*: & ep. 106. *Siquis dixerit, quòd gratiam bene operandi homines mereantur, negare non poſſumus.* Et tr. 44. in Io. *Si peccatores Deus non exaudiret, fruſtra ille publicanus oculos in terram demittens, & pectus ſuum percutiens diceret, Deus propitius eſto mih peccatori. Iſta confeſſio meruit iuſtificationem.* Deinde quia meritnm de cōgruo, factum ex gratia actuali, licèt non habeat cum gratia iuſtificante, proportionem condignitatis, ob cuius defectum, eſt meritum impropriè, & imperfectè, tamen habet proportionem condecentiæ, & congruitatis ad præmium, vnde nomen accepit. Ergo nullum inducit ius ex parte merentis, vel debitum ex parte præmiantis. Valdè tamen congruit diuinæ bonitati, vt nō ſolū intuitu diſpoſitionum proximarum, ſed etiam remotarum, Deus conferat ſēper vberiorem, & vberiorem gratiam, quoaduſque peccatores pænitentes, & benè vtentes prioribus gratijs, vltimò diſponantur ad ipsā gratiam iuſtificantem, quam tandem obtineant, eondignè qnidem ex meritis Redemptoris, & congruè etiam ex meritis ipſorum, factis ex gratijs actualibus, vnde non ſolùm ſunt actus moraliter boni, ſed etiam ſupernaturales. Ergo licèt ſint opera inimici Dei,

quia

quia tamen ſunt obſequia, ex ſua natura illi grata, poſſunt ita acceptari, vt illum moueāt ad conferendam gratiam iuſtificantem, non ſolùm per modum impetrationis, ſed etiam per modum meriti de congruo.

Quæres 8. An etiam operibus naturalibus liberi arbitrij, moraliter bonis, poſſit homo mereri de congruo gratiam iuſtificantem? Reſpondeo negatiuè. Quāuis enim Riccardus, Scotus, Gabriel, Caietanus, & Durandus, concedant, huiuſmodi bona opera, ſe habere per modum diſpoſitionis remotę, vel ſaltem per modum conditionis ad gratiam præuenientem, illaque mediante, ad alias gratias ſubſequentes, vſque ad primam iuſtificantē, tamen quia S. Pater Aug. ep. 105. inquit, *Percipiendæ huius gratię* (loquens de iuſtificante) *merita nulla pręcedunt, quoniam meritis impij non gratia, ſed pęna debetur:* & in præfat. ad Pſal. 31. *Nihil boni egiſti, & datur tibi remiſſio peccatorum*, ideo dico, poſſe quidem peccatorem, ſuis bonis operibus ordinis naturalis, ſubordinando gratiæ liberum arbitrium, facere totum illud, quod poteſt, nam clementiſſimus Deus, non quidem intuitu talium operū, ſed ob ſolam ſuam miſericordiam, & ex meritis Chriſti, non contemnet eius piū conatum, & infallibiliter conferet ſuam primam gratiam, per quam diſponatur ad alias, & alias, quoadusque per actus contritionis, & alios ſupra aſſignatos, vl-

timò, & proximè diſponatur ad gratiam iuſtificantem, vt ex profeſſo proſecuti ſumus diſp. 7. de prædeſt. ar. 9. & 10. quibus nunc me remitto.

Quæres 9. An poſſit iuſtus mereri perſeuerantiam finalem? Reſpondeo affirmatiuè, vt fusè probauimus diſp 4. de prædeſt. ar. 3. quibus addo Augu. de bono perſeu. c. 6. docentem, *Hoc Dei donum ſuppliciter mereri poteſt.*

Quæres 10. An poſſimus à Deo mereri bona temporalia? Reſp. affirmatiuè. Nam vel hæc bona ordinantur ad vitam æternam, vt ſunt diuitiæ, ad eleemoſynã faciendam, propter Chriſtum, & quia ex fine ſumunt bonitatem ſupernaturalem, poſſunt eſſe præmium meriti de condigno hominis iuſti, docente D. Thom. 1. 2. q. 114. ar. 10. *Si temporalia bona conſiderentur, prout ſunt vtilia ad opera virtutum, quibus perducimur in vitam ęternam, ſecũdum hoc directè, & ſimpliciter cadunt ſub merito, ſicut, & augmentum gratię.* Si verò conſiderentur ſecundum ſe, quia vt talia nõ ſunt ſimpliciter bona, ſed ſolùm ſecundum quid, ideo non cadunt ſub merito de condigno hominis iuſti, quod eſt ſimpliciter meritum, ſed ſolùm ſub merito de congruo, quod eſt meritum ſecundum quid, vt idem ibidem proſequitur. Si verò vt talia comparentur cum infidelibus, & peccatoribus, Dico quòd accedentè diuina promiſſione, poſſunt cadere ſub merito de condigno ordinis na-

naturalis, vel illa non accedente, ſub merito de congruo. Et hæc eſt ratio, cur aliqui principes infideles proſperantur, acquiſitione regnorum, & priuati acquiſitione diuitiarum, quia videlicèt exercentes plures actus virtutum moralium ordinis naturalis, cum ſolis auxilijs generalibus, merentur ſuum præmium. Quia ergo nō poſſunt recipere in termino præmium ſupernaturale, ideo Deus illos præmiat in via, bonis temporalibus, vt dictū fuit diuiti epuloni, *fili recipiſti bona in vita tua*, vt diuina iuſtitia, quæ nihil relinquit impunitum, nihil etiam relinquat impræmiatum, vt docet D. Thom. in 2. d. 27. q. 1. ar. 4.

Neque obſtat, quòd non ſemper retribuantur, vt videmus experientia, Nam ſæpe Deus compenſat illa bona, cum alijs, vel maioribus, vel æqualibus, quæ magis conducunt ad eorum vtilitatem, vt ſunt maior copia gratiarum, plures gradus gloriæ in iuſtis prædeſtinatis, vel etiā alia bona, quæ magis in via ſint profutura peccatoribus, taliter merentibus, quāuis ipſi non aduertant, cùm ſæpe quod petitur, noceret, ſi haberetur; & ideo veritas dixit, *Neſcitis quid petatis*, quia neſcimus quorum indigeamus, vt egregiè inquit S. Proſper ſenten. 212. *Fidelis ſupplicat prò neceſſitatibus huius vitę, & miſericorditer auditur, & miſericorditer non auditur. Quid enim infirmo ſit vtilius, magis nouit medicus, quàm ęgrotus.*

Quæres II. An poſſit iuſtus mereri ſibi reparationem poſt lapſum, hoc eſt reuiuiſcentiam meritorum, quæ fecit ante peccatum? Reſp. negatiuè cum communi, ſi loquamur de merito condigni, & affirmatiuè, ſi loquamur de merito congrui, ſaltem largè ſumpto, vt docent Bonau. Scotus, Suar. Bellam. Gonet, Gibbo, & alii plures, cum D. Tho. ſect. 3. ſuper cap. 6. ad Heb. Et ratio eſt, primò quia merita per peccatum, de ſua natura pereunt, vt dicitur Ezech. 18 *Si auerterit ſe iuſtus à iuſtitia ſua, omnes iuſtitię, quas fecerat, non recordabuntur*, & c 36. *Si dixero iuſto quòd vita viuat, & confiſus in iuſtitia ſua, fecerit iniquitatem, omnes iuſtitię eius obliuioni tradentur*. Sicut enim per aduentum gratiæ, pereunt peccata, ita per peccatum pereunt merita antecedentia. Ergo eſt purus effectus diuinæ miſericordiæ, quòd velit illa non mortua, ſed solùm mortificata, hoc eſt reditura ad vitam priſtinam, ſi recuperetur amiſſa gratia illa viuificans. Sed hæc non poteſt eſſe illa, quæ correſpondet meritis poſterioribus ad iuſtificationem, quia hæc de ſua natura habet ſolùm expellere peccatum, & ſanctificare animam, illã inclinando ad actus meritorios, de nouo eliciendos. Ergo requiritur alia gratia, cuius munus ſit, merita mortificata viuificare, ſiue hoc fiat per ablationem obijcis, ad munera vitæ ſpiritualis exercenda, ſiue per eorum informationem, qua

re-

recipiant valorem amiſſum, vt accidit in reuocatione mortui ad vitam. Atq;adeo cùm nemo poſſit, hanc gratiam viuificantem de condigno mereri, neq; poteſt mereri meritorum reuiuiſcentiam, quæ dicitur talis, quia reuocat ad vitam, quæ erant mortua.

Deinde ſi nomine reparationis poſt lapſum intelligatur recuperatio gratiæ. amiſſæ per peccatum, multò minùs poteſt fieri ab ipſo lapſo. Et ratio eſt clara, quia cùm opera hominis non ſint meritoria, niſi ex gratia, & cùm in lapſo nō ſit gratia, eius opera nullo modo ſunt meritoria præmij ſupernaturalis, cuiuſmodi eſt gratia iuſtificans. Præterquamquod probatum eſt diſp. 2. ar. 1. gratiam iuſtificantem non cadere ſub meritum. Ergo peccator non poteſt illam promereri, ſaltem de condigno, quidquid ſit, an poſſit illam præuijs diſpoſitionibus mereri de congruo, de quo egimus in ſeptimo quæſito, in quo ſuſtinuimus partem affirmatiuam.

Quæ omnia vt cedant in Dei honorem, & Lectorum vtilitatem, libenter ſubijcio cenſuræ, & iudicio S. R. Eccleſiæ.

Digitized by Google

INDEX

Rerum notabilium, quæ continentur in Tractatibus

De iuſtificatione impij, & De merito.

A Acceptatio extrinſeca Dei. Non poteſt tribuere noſtris actibus condignitatem ad præmium. pag. 164.

Actus præparatorij ad iuſtificationem, Qui, & quot ſint. 91. & 123 Qui actus requirantur formaliter, & qui virtualiter. 104. Qui ſint abſolutè neceſſarij. 124.

Actus ſecundarius. Non ſemper ſupponit primarium 103

Actus ſemideliberati Non ſunt meritorij. 148.

Auerſio voluntaria à Deo. Non poteſt tolli per voluntatem alienam creatam, licèt poſſit per increatam. 83. Non tamen philoſophicè, ſed theologicè. Ibidem.

Auxilia actualia. Siue intrinſeca, ſiue extrinſeca, conſtituunt principium proxi-

xi-

ximum operandi. 112. Non ſunt eiuſdem ſpeciei, cum gratia habituali. Ibid.

Beati. Nihil ſibi, vel alijs mereri poſſunt in hac prouidentia. 154 Quomodo obtineant nobis gratias. Ibid.

Beatitudo. De facto eſt inuariabilis, licèt potuerit fieri per merita augmētabilis à beatis. 157. Non tamen fieret infinita. Ibid. Nec redderet anxios poſſeſſores. 158.

Calor vt octo. Non eſt diſpoſitio ad formam ignis, ſed eius proprietas, vel effectus. 113.

Christus. Iuſtificat nos cauſaliter, & non formaliter 43. Non habuit libertatem contrarietatis, licèt perfectè meruerit. 145. Qua ratione fuerit illi neceſſarius ſtatus viæ 157.

Christi merita. Ex pacto habuerunt ſummam efficaciam ad præmium, cuius menſura eſſet eius voluntas. 178. Dignificabantur ſanctitate increata. 185.

Concupiſcentia. In quo ſenſu dicatur peccatum. 31.

Condonatio extrinſeca peccatorum. Eſt poſſibilis. 80.

Conſeruatio. Eſt continuata productio in phyſicis, non in moralibus. 76.

Contritionis actus. Includit virtualem dilectionem Dei. 101. Sufficit ad iuſtificationem. Ibid. Poteſt ſeparari à forma-

li dilectione Dei. 101. Quomodo contineat virtualem amorem Dei. 102. Poteſt dici actus charitatis, à cuius habitu pendet. 105.

Contritionis, & charitatis actus. Non poſſunt formaliter iuſtificare. 61. Non opponuntur formaliter priuationi gratię 62. Cur nō poſſint deſtruere peccatū originale 64. Non ſunt effectus gratiæ iuſtificantis. 107. Nec accipiunt ab illa vitalitatē. 111. Non poſſunt ijdem numero conſeruari. 112. Dignificantur à gratia habituali concomitanti. 133. Alij ſunt præparatorij, & alij effectus gratiæ. 114.

DEmeritnm. Non creſcit ex graduali imperfectione operantis. 185.

Deus. Non poteſt negare vitam æternam, decedentibus in gratia. 57. Poteſt ſupplere defectum cauſæ materialis extrinſecæ. 75. Poteſt remittere peccata per puram condonationem extrinſecam. 80. Non tamen poteſt facere nos amicos per ſolam acceptationem extrinſecam. 164, Quomodo fiat nobis debitor. 171.

Dilectio Dei. Plerumque habetur in iuſtificatione impij. 99. Non tamen requiritur vt formaliter talis. 100. Sed ſufficit virtualis. Ibid.

Diſpoſitio ad iuſtificationem. Requiritur in adultis. 91. Per quos actus. 92. Non meretur de condigno iuſtificationem

nem

nem. 93. Debet fieri ex gratia actuali. Ibid. Non poteſt eſſe effectus gratiæ iuſtificantis. 109.

EFfectus. Eorum diuerſitas non arguit diuerſitatem principiorum. 122

Enoch, & Elias. Quomodo mereantur in Paradiſo Terreſtri. 154.

FIdes theologica. Requiritur ad iuſtificationem, non tamen ſufficit. 96. Eſt eius radix, & fundamentum. 97.

Filius. Non poteſt mereri hæreditatem, niſi ex pacto. 180.

GRatia habitualis. Probabile eſt, quod ſolũ moraliter expellat peccatum. 50 Probabilius eſt, quòd illud expellat ex natura ſua. 51. Eſt vnica cauſa formalis iuſtificationis. 54. Quam oppoſitionẽ habeat cum peccato. 56 Eſt principium diligendi Deum, & ſanctificans animam Ibid. Non connectitur eſſentialiter cum caractere. 57. Non poteſt eſſe cum peccato actuali. 67. Neque cum habituali. 68. Licèt poſſit in ſententia Scoti. Ibid. Non pendet eſſentialiter à diſpoſitionibus. 110. Etiam vt concomitãs, dignificat actus ſupernaturales. 113. Eſt principium formale vitæ ſpiritualis. 119. non eſt operatiua. Ibidẽ. Prærequiritur ad merendum. 161. Etiam per modum qualitatis intrinſecæ. 162. Licèt in ſenſu

Digitized by Google

Scoti poſſet haberi per extrinſecam acceptationem. 163. Probabilius tamen eſt, non poſſe 163. Eſt de ſe inamiſſibilis. 16.. Non eſt principium meriti, niſi ex pacto. 179. Neque eſt ſimpliciter neceſſaria ad meritum. 184.

Gratia habitualis purè concomitans. Non ſufficit ad meritum vitæ æternæ. 186.

Gratia prima. Non poteſt cadere ſub meritum reſpectu merentis. 191.

Gratia iuſtificans Non poteſt cadere ſub meritum de condigno, licèt poſſit de congruo. 191.

HAbitus charitatis. Poteſt ſuſtineri, quòd diſtinguatur à gratia habituali 117. Tamen eſt probabilius, quòd non diſtinguatur. Ibid. Habent communes effectus formales. 118.

Habitus ſupernaturalis. Eſt perfectior actu. 63.

Habituatus ad bonum. Quomodo mereatur. 147.

IMpeccabilitas beatorum. Non eſt formaliter à viſione, ſed effectiuè. 64.

Impotentia moralis ad malum. Non tollit potentiam phyſicam ad merendum 149.

Iuſtificatio impij. Datur in Eccleſia. 29. Non tegit, ſed verè tollit peccata. Ibid. Non fit, niſi per gratiam intrinſecè

cè inhærentem 42. Cum remiſſione peccatorum. 43. Non autem per imputationem diuinæ iuſtitiæ. 45. Aut extrinſecum fauorem Dei. 53. Eſt purè gratuita. 55. & 93. Non poteſt fieri, quoad effectum poſitiuum, ſine forma intrinſeca iuſtificato, 79. Licèt poſſit quoad effectum negatiuum. 80. Prærequirit diſpoſitiones in adultis. 91. Licèt poſſit fieri ſine illis 80. Requirit formaliter actus fidei, ſpei, & contritionis, ſeu charitatis. 104. Eius cauſæ, & diſpoſitiones quæ, & quot ſint. 123. Quæ diſpoſitiones ſint adultis abſolutè neceſſariæ. 124. Non fit in inſtanti. 124. Regulariter non fit miraculosè 125. Sēper tamen eſt maximum opus Dei ad extra. Ibid.

Iuſtificatus. Quomodo commenſuretur diuinæ legi. 44.

Iuſti. Habent libertatem ad merendū. 130. Et merentur de condigno vitam æternam. 131.

Liberum arbitrium. Non eſt extinctum per Adæ peccatum. 131.

Libertas contradictionis. Eſt neceſſaria ad meritum. 144 Debet eſſe cum plena aduertentia, & deliberatione. 146.

Libertas ſpecificationis. Non eſt neceſſaria ad meritum. 145.

Libertas à coactione. Non ſufficit ad meritum. 144. & 148.

MEritum. Vide, opera meritoria.

Meritum de congruo. Extenditur ad gratiam iuſtificantem. 191. Non tamē operibus naturalibus liberi arbitrij 193. Quamuis hæc proſint peccatori. Ibid. Extenditur etiam ad bona temporalia. 194. Et ad reparationem poſt lapſum, 196.

Meritum de condigno. Per quid diſtinguatur à merito de congruo. 130. & 170. Quomodo obliget Deum ad præmium. 133. Non poteſt haberi per puram omiſſionem. 137. Nec ſine libertate contradictionis, licèt non requiratur libertas ſpecificationis. 244. De facto requirit ſtatum viæ. 151. Non tamen de poſſibili. 155. Prærequirit etiam gratiam ſanctificantem. 161. Nec ſufficit acceptatio extrinſeca Dei. 164.

Meritum de condigno. Debet intrinſecè habere condignitatem ad præmium. 165. Non completur per ſolam ordinationem intrinſecam. 169. Sed requirit ordinationem extrinſecam pacti, ſeu diuinæ promiſſionis. 171. Obligat Deum ex iuſtitia ad præmium 170. Remotè per propriam condignitatem, & proximè per pactum. 175. Quod omnibus naturæ lumine innoteſcit. 177. Eius quantitas gradualis, non exigit proportionari quantitati gratiæ, ſed operis. 185. Non extenditur ad primam gratiam, reſpectu merentis. 191. Extenditur ad finalem perſeue-

ue-

uerantiam. 194. Et ad bona temporalia. Ibid. Non tamen ad reparationem poſt lapſum 196. Seu recuperationem gratiæ amiſſæ. 197.

Motus phyſicus. Eſt indiſpenſabiliter acceſſus ad vnum ex oppoſitis, & receſſus ab alio, non tamen motus moralis. 103.

Mutua cauſalitas. Non poteſt dari inter gratiam, & actus contritionis, & charitatis. 108. Cur poſſit dari, inter finem, & media. 109. Et inter duos ignes, 110. Non autem inter cauſam moralem, & effectum. Ibid.

NEceſſitatus ad omninò æqualia non meretur, ex defectu libertatis. 146.

OBſeruantia totius legis. Non poteſt fieri ſine gratia habituali. 166.

Omiſſio actus præcepti: Aufert potentiam non omittendi. 69.

Omiſſio pura. Non poteſt eſſe meritoria vitę æternæ. 137. Licèt poſſit eſſe meritoria pęnæ æternæ. 138. Quomodo poſſit eſſe laudabilis. 139. Et fieri ex fine ſupernaturali. 140. Non datur in Chriſto circa obiecta virtutum, & vitiorum. Ibidem.

Opera iuſtorum facta ex gratia, & per gratiam. Sunt Deo accepta. 129. Sunt meritoria de congruo, & de condigno

Digitized by Google

vitæ æternæ. 130. Non ſunt peccata. 131. Neque puræ conditiones, ſed veræ cauſæ morales vitæ æternæ. 132. Quam adęquant per modum præmij. 133. Nihil derogant de meritis Chriſti, quæ potiùs extollunt. 134. Non obligant Deum de toto rigore iuſtitię. 134. Sed ſolùm ex iuſtitia lato mudo. 135. Proueniente ex pacto, ſeu diuina promiſſione. 171.

Opera meritoria vitæ æternæ. Debent habere condignitatem ad illam, Et moralem proportionem. 137. & 164. & ordinationem extrinſecam Dei. 171. Sine qua darent quidem ius remotum, non tamen proximum ad præmium. 181. Habent ex ſe condignitatem proportionis, non autem iuſtitiæ. 182. Augentur ex hoc, quòd Chriſtus obtinuerit eorum principium, & illa ipſe offerat Patri. 182. Poſſunt abſolutè dari ſine gratia habituali 184.

PEccatum. Per iuſtificationem extinguitur. 29. Nec poteſt redire. 30. Extinguitur quando eſt tranſeunter. 69. Non poteſt remitti cum actu ſit. 72.

Pecccatum mortale furti. Differt ſpecie à veniali, non philoſophicè, ſed theologicè. 57.

Peccatum intrinſecè, & eſſentialiter irremiſſibile. Non poteſt dari. 34.

Peccatum Adæ. Non facit nos peccatores formaliter, ſed cauſaliter. 44.

Peccatum originale. Poteſt remitti, ſine

ſine retractatione. 73. Extinguitur per baptiſmum. 131.

Peccatum habituale perſonale. Poteſt remitti, ſine retractatione. 74. Licèt de lege ordinaria non remittatur. Ibid. Non dicit complacentiam de actuali preterito. 85.

Peccator. Non poteſt de lege ordinaria iuſtificari, niſi priùs diſponatur. 81. Nec fieri amicus Dei, ſine gratia habituali. 162. Quamuis in ſenſu Scoti poſſit fieri, per ſolam extrinſecam acceptationem Dei. 163. Probabilius eſt, id fieri non poſſe. Ibid. Se obligat ad pęnam, & obligatur à Deo 176. Poteſt mereri de congruo gratiam iuſtificantē, non tamen de cōdigno. 191. Neq; operibus liberi arbitrij moraliter bonis. 193. Quamuis poſſit per illa, ſubordinare gratiæ liberum arbitrium, ita vt non contemnatur à Deo, qui gratis illi conferat ſuam gratiam. 193.

Perſeuerantia finalis. Cadit ſub meritum. 194.

Præceptum. De ſe non inducit obligationem præmiandi illud adimplentes 178

Priuatio gratiæ. Non poteſt phyſicè tolli ſine gratia, licèt poſſit moraliter, & theologicè. 87.

Purgatorium. Non eſt medium inter viam, & terminum. 153. In illo detenti, nec ſibi, nec alijs mereri poſſunt. Ibid.

Qua-

QValitas meriti. Sumitur ex perfectione ſpecifica, & eſſentiali gratiæ. 186.

Quantitas gradualis meriti, ſequitur quidem quantitatem operis, non autem gratiæ. 185.

REmiſſio peccati. Eſt ſeparabilis ab infuſione gratiæ. 88.

Retractatio peccati. Non eſt ſimpliciter neceſſaria ad eius condonationē. 80.

STatus gratiæ ſanctificantis. Requiritur ad meritum de condigno. 161. Quamuis poſſit in ſententia Scoti ſuſtineri oppoſitum. 162.

TRanſitus phyſicus ex vno contradictorio, ad aliud. Non poteſt fieri, ſine mutatione intrinſeca extremorum, licèt poſſit moralis. 89.

VAlor monetæ. Fūdatur in pretio metalli. 165.

Viæ ſtatus. Non continuatur in purgatorio. 153. Sed terminatur vltima morte. 154. Requiritur ad meritum de facto. 151. Non tamen ſimpliciter. 155.

Virtutum per ſe infuſarum actus. Sunt meritorij ex ſe vitæ æternæ, nec indigent imperari ab habitu charitatis. 188.

Virtutum moralium acquiſitarū actus, eliciti ex gratia habituali purè concomi-

mi-

mitanti. Non ſunt meritorij vitæ æternæ. 186.

Voluntas. Non poteſt mereri, niſi ſit perfectè libera, & deliberata. 146.

Viſio Dei. Quomodo opponatur peccato. 64.

FINIS.

Errata	Corrige
Pag. 37. *Pariter finis.*	paritas finis.
48. *Et ly fauorem*	ly tantùm fauorem
96. *Vt didincta*	diſtincta
167. *Vt propugnant Scotus.*	Sotus.

Digitized by Google

Libri editi in lucem vſque adhúc à Mag. Fr. Petro de Comitibus Romano Ordin. Er.S. Aug. Romani Collegij Regente.

Philoſophici.

ORganum philoſophicum, ſeu clauis aurea ad vniuerſam philoſophiam:

Logica, ſeu philoſophia rationalis, libri quinque.

De Phyſico auditu, libri octo, tribus tomis diſtincti.

De Ortu, & interitu, ſeu de generatione, & corruptione, libri duo.

De Mundo, & Cælo, libri tres.

De

De Anima libri tres.

Diſputationes metaphyſicæ theologicè exagitatæ libri tres.

Meteora, ſeu libri meteorologicorum.

Ethica, ſeu moralis philoſophia.

Parua naturalia.

De Miſtorum temperamento.

De Miſtorum corruptibilitate.

Theologici.

De Deo vno, ſiue de diuinis perfectionibus.

D Sanctiſſima Trinitate,

Digitized by Google

te, tomi duo.

De Beatitudine.

De Prædeſtinatione, & reprobatione.

De Viſione beatifica.

De Intellectu, & ſcientia Dei.

De Voluntate, & actibus liberis Dei.

De Angelis.

De Virtute, & Sacramẽto pænitentiæ.

De Incarnatione Dominica:

De Peccato Originali.

De Iuſtificatione impij.

De Meritum ſecundũ ſe.

Varij.

Poeſis ſacra, & prophana.

Vin-

Digitized by Google

Vindicationes Peripateticæ,

Rhetorica miſcellanea.

Hi ſunt libri, quos venales inuenies penès Authorem; nam alij plures, quos lectores certatim ſibi compararunt, niſi rurſum reuocentur ad prælum, inueniri non poſſunt. Et ideo quia petentibus non ſuppetunt, cum alijs non recenſentur.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google